



*Q. D. B. V.*  
DISSERTATIO IVRIDICA,  
De

# AVRO CORO- NARIO,

Von  
**Der Krohnen-Steuer/**

*Quam*  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

**DN. FRIDERICO  
GVILIELMO,**

CORONÆ BORVSSICÆ ET ELECTORATVS  
BRANDENBVRGICI HEREDE &c. &c.  
*IN ILLVSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA*  
PRAESIDE

**DN. IO. SAMVELE STRYKIO,**  
I. V. D. & Profess. Publ. Ordinar.

*PRAECEPTORE SVO AETERNVM SVSPICIENDO,*  
D. XXIX. Ianuar. MDCCI.

publicæ eruditorum disquisitioni submittit  
**FRIDERICVS de Strauß/**  
Eques Neo-Marchicus.

---

HALÆ MAGDEB. Literis Chr. Henckelii, Acad. Typ.



STADTBIBLIOTHEK  
FRANKFURT AM MAIN.

*SERENISSIMO POTENTISSIMO.  
QUE PRINCIPI AC DOMINO,*

**DOMINO  
FRIDERICO,  
REGI BORVSSORVM.**

ETC.

**MARCHIONI BRAN-  
DENBVRGICO, S. R. IMPERII AR-  
CHICAMERARIO ET ELECTORI, DVCI MAGDEBVR-  
GI, CLIVJAE, IVLIACI, MONTIVM, STETINI, PO-  
MERANIAE ET IN SILESIA CROSNAE, BVRGGRA-  
VIO NORIMBERGENSI, PRINCIPI HALBERSTADII,  
MINDAE, CAMINI, COMITI HOHENZOLLERAE  
MARCAE ET RAVENSBERGAE, DYNASTAE RA-  
VENSTEINI ET DITIONVM LAVENBURG ET  
BVTOVV ETC. ETC. ETC.**

*PIO, FELICI, AVGVSTO.*



**D**Um ubique conspirant ci-  
vium Tuorum voces, ut priscum illud  
FELICITER tibi Prussorum Regi, a  
Deo dato, & Coronato, Deique no-  
mine à venerandis sacri ordinis Anti-

stitibus uncto, acclament: Alma quoque nostra Fri-  
dericiana a Regia Tua Majestate ad Nominis Augu-  
sti immortalitatem instaurata, lætitiæ publicæ signa  
solennibus Panegyricis demonstrarit, nec mihi in  
eadem Academia Legum prudentiam excolenti,  
silendum censui. Munus vero studiis meis conveni-  
ens, & Regiæ Majestati Tuæ non plane ingratum  
cum investigarem, commode se stitit *Auri coronarii*  
oblatio, præsentibus chartis in apricum producti.  
Neminem enim ex illis esse reor, qui fidei nexu Ma-  
jestati Tuæ obstringuntur, qui occasione hac plane  
divinitus oblata de Coronis haud quicquam medi-  
tetur, ac Augusti Tui Regni auspicia Deo commen-  
det, imo ex omnibus non fallacibus, Tibi soli, REX  
POTENTISSIME, Coronam Borussia a Deo  
reservatam esse, auguretur; Equidem non desunt  
exempla Majorum Tuorum, quibus Regna a Re-  
bus-

bus publicis aliis oblata, quæ semper modeste decli-  
narunt: Ut vero hereditarii Ducatus ac Principa-  
tus absoluto Regni jure administrarentur, nexus ille  
fiduciarius, quo eosdem tenebant, utut potentia  
sua ac ambitu Regna varia superarent, resistebat.  
Ipse Ducatus Borussia non alia Lege aut Libertate  
Domui Brandenburgicæ parebat, quam ut sceptrum  
Regni Polonici fide sub jurisjurandi religione data,  
veneraretur: Sed cum tandem adveniret tempus,  
quo Deus secundum Sacræ Scripturæ elogium *Reges  
instituere & destituere decreverat*, etiam Regiomonti, ca-  
piti Borussia, Regia Dignitas restituenda fuit per  
Principem in gremio ejus, soluto feudali nexu, & Bo-  
rusia ad libertatem revocata, natum. Et quidem  
Te ex FRIDERICI WILHELMI MAGNI so-  
bole elegit Deus, cui justo tempore Coronam Bo-  
rusicam imponeret: Quippe non antea Te in orbem  
prodire voluit, quam cum Incomparabili Tuo Pa-  
renti, ad arma præter intentionem provocato, spes  
facta a Polonis, de resignando jure in Borusiam, &  
supremo ejus dominio in Domum Brandenburgi-  
cam transferendo. Adeo felici auspicio tunc in  
orbem prodibas, **POTENTISSIME REX**, & illi-

eo, ut ut fratri Seniori Electoratus deberetur, Borussia, utpote indigenatus amantissimi, ex natali suo felicissimum Regimen Tuum futurum augurabantur, & hinc a Parente Tuo, Te in cunis adhuc jacente, humillimis expetebant votis, ut Electoratu CAROLO AEMILIO Fratri Seniori relicto, post fata sua Borussia Tibi supremo, jure regendam destinaret: Cum enim trimestri spatio vix a Nativitate Tua elapso, Libertas Borussiae in solennibus Pacis Velaviensis tabulis concederetur, verbis in hunc modum conceptis: *ut Serenissimus Elector Brandenburgicus, cum omnibus descenditibus Masculis JURE SUPREMI DOMINII CUM SUMMA ET ABSOLUTA POTESTATE sibi habeant Borussia, possideant & REGANT*, unusquisque veram potestatem Regiam hac pace acquisitam esse videbat; hanc autem Principi in libera jam Borussia natopotissimum deberi, non vano augurio ominabantur. Imo cum vaticinari quondam crederentur Poetae, illi hoc contigisse arbitror, qui vix Te Nato canebat:

Nascitur in REGIS, FRIDERICUS, MONTE, quid illud?  
Prædicunt Musa: REX FRIDERICUS erit.

Verum enim vero ut eo majori cum splendore præ-

VIII-

visque in Europam meritis magnis, imo plane Regiis, & sic applaudentibus Invictissimo Imperatore, aliisque Regibus, Coronam Borusficam capesferes, intervallo quodam, & animo ad tantam eminentiam preparato opus erat. Inde ea, qua decet futuros Reges, prudentia educabaris; & CAROLO AEMILIO fortissimo Principe, contra hostes Imperii tunc temporis militante, ad Coelos evocato, omnem in Te spem conjiciebant Magnus Parens, & quotquot ipsi suberant provinciæ. Hinc in expeditionibus bellicis Te sibi comitem adjungebat, ut una cum Genitore pugnares, & pectus Tuum gravissimis etiam periculis subeundis obfirmares. Imo domi etiam magnam Consilii secretioris partem Te faciebat, Regiminisque curam jam vivus in Te, sapientissimum Filium, conjiciebat. Sic tranquilla mente mortem excipiebat MAGNUS FRIDERICUS WILHELMUS, cum videret se Filium tot provinciis prudentissime regendis parem orbi relicturum. Credidisset jam unusquisque, horam Dei advenisse, ut Coronam capesferes: Ast necessarium adhuc erat, ut Europæ prius ostenderes, Te Parentis consilio orbatum, virtute Tibi propria, non

tantum Provinciis Tuis, sed etiam Europæ rebus  
consulendis parem esse. Longum foret hic excur-  
rere, quantas expeditiones, paucis a delato Regi-  
mine mensibus pro salute Imperii susceperis, & pri-  
mus omnium ex Germaniæ Principibus fueris, qui  
Gallos fugari, & eorum viribus occupata, Branden-  
burgica virtute, vere Germana, recuperari posse o-  
stenderes; prælium ad Ordrigam intelligo, Bon-  
nam fortissime defensam, Kaiserswertham & loca  
alia fortitudinis Tuæ Trophæa. Post continuo mi-  
lite in Belgio, Germania, Hungaria, imo & Italia u-  
trique tunc temporis Imperii hosti obicem posuisti,  
ne sæviret in Imperii viscera, sed tandem æquas pacis  
conditiones acceptaret. Imo nuper adhuc inter  
occidentis Reges belli scintillas, in flammam prope-  
diem erupturas, autoritate Tua, armisque in subsi-  
dium dispositis, opportune exstinxisti, & quietem  
Imperio reddidisti. Ita ergo post duodecennale  
Imperium, Regia virtute tot heroicis factis pro-  
bata, jam noviseculi exorsus Te novum Regem de-  
siderabat, ut meritissimo capiti tuo Coronam impone-  
neres, & Regnum Borussiae Tibi nato per vota  
solennia destinatum, non tantum Regia potestate  
por-

porro gubernares, sed titulo quoque ac nomine  
REGIS teneres. Quod cum jam ex voto successerit,  
quis divinam voluntatem miramque factorum  
directionem devota mente non recoleret, precibus  
pro Tua REX POTENTISSIME, & Universæ DO-  
MUS REGIÆ ulteriori in cremento fufis. Accedit &  
domesticum devotionis meæ argumentum, quod  
REGIA VESTRA MAJESTAS Parentem meum,  
quoad vitam ipsi concessit DEUS, clementissimo  
affectu prosequuta fuerit, adeo ut cohortis suæ e-  
questris Ductorem Generalem eum esse voluerit,  
sed etiam mihi hæc felicitas contigerit, quod Maje-  
stas Vestra me ex sacro baptismi lavacro Suis ulnis  
susceperit, augustique nominis me participem red-  
diderit. Equidem forte modestius hæc silerem, sed  
cum inusitata clementiæ hoc exemplum, Parenti  
meo mihi que hac ratione exhibitum, quod mihi ad  
devotissimum obsequium Regiæ Vestræ Majestati  
ad cineres usque præstandum adstringit, non alic-  
num ab hoc negotio argumentum esse censui, quare  
publico gratulantium coetui me adiunxerim, novi  
Regis Sceptra humillimo cultu venerando. At cum  
in simul *Aurum Coronarium* offerre nequeam, charta-  
cum

ceum hoc munus auro diuturnius exhibendum duxi. Suscipe hoc, AUGUSTE REX, clementissimo vultu, & rivulos pristinae gratiae, Parenti meo quondam ubertim indultae, in me derivari patiaris. Non cessabo Deum O. M. indefessis sollicitare precibus, ut, quam Tibi nuper imposuit coronam, servet, augeat, & contra omnia invidorum molimina securam praestet, fortissimaque sua manu tueatur. Addat ulterius Regnum Regno, provincias provinciis, sobolem soboli, ut ubique terrarum pateat, sub umbra alarum divinarum florere Regnum Borussiae, vigere tot provincias alias Brandenburgicas, nec deesse ex Regio hoc sanguine, qui Sceptra decusque Regni fortissime tueatur, Dei gloriam, pietatis ac iustitiae incrementum, & tot subditorum salutem ad finem usque, non seculi, sed orbis universi feliciter promoveat. Ita voveo

## REGIAE MAIESTATI T.

*ima submissione devotiss  
cliens*

FRIDERICUS de STRAUSS.



## INGRESSVS.



**I**luxit nuper, prouidentia Dei clementissime annuente, illa dies, qua Serenissimus Heros Brēnicus, iam Potēntissimus Rex Borussorum, Regale fastigium & Augustum Diadema felicissimis occupauit auspiciis, quemque diem merito feriis repentinis destinari voluit, vt publicæ pro salute Augustissimi Regis preces ad Deum funderentur, & incrementa tanta subditi læto & deuotissimo venerarentur animo. Et quidem nec suo deesse officio voluit alma Fridericiana, inprimis cum illa Serenissimum ac Potēntissimum hunc Borussorum Regem, Dominum nostrum longe clementissimum, fundatorem ac Protectorem agnoscat, & sub hoc nouo regali fastigio & Diademate regio indies magis magisque inclarescat. Hinc in ipsis templis publicas Deo grates egimus. Fudimus pro Regis salute preces publicis orationibus. Fausta quæque ipsi apprecati sumus, & coniunctis animis ac vocibus acclamaui-  
mus:

A 2

VI-



## VIVAT FRIDERICVS BORVSSORVM REX.

Neque vero sola illa die gratulationes nostræ conclusæ fuerunt, sed adhuc deuotis personat votis nostra Fridericiana & vniuersa hæc Ciuitas de hac regali corona certatim Augustissimo Regi deuotionis suæ argumenta edere allaborat. Maiores certe nobis hic passim præiuere, & imprimis documentum lætitiæ publicæ per *Aurum Coronarium* exhibuere, de quo, cum nec nostra Iurisprudencia fileat, nec nobis silendum esse, arbitrati sumus. Quid enim Iurium cultori in hac Academia, sub Potentissimi Regis nomine coruscante, hoc tempore accommodatius, quam quod ipsa præeunte Iurisprudencia exemplar videat, in quo vires ingenii periclitari & meditationes huic tempori conuenientes instituere liceat, vt hoc instar Coronarii cuiusdam tributii, solennitati horum temporum sacrum dicere possit? Iubente ergo temporis ratione, de *Auro Coronario* meditationes quasdam suscipere constitui, & cum hæc materia altius ex ipsa antiquitate Romana repetenda sit, primo quidem capite originem huius Auri Coronarii indagabo, & quid antiquitus de hoc ipso Leges constituerint indicabo, in sequentibus deinde adiura hodierna & praxin, ex ipsis rerum argumentis desumptam, progressurus. Quod institutum Deus clementissime secundet!

CAP. I.

CAP. I.  
De  
AVRI CORONARII ORI-  
GINE.

CONSPECTVS.

- E**xplicatio Rubricæ n. 1. homines fieri posse vulgo credi-  
Remissive de derivatione au- tum 21.  
ri. n. 2. Iudicium inde deducitur de vir-  
tutibus Ethnicis. 22.  
Varia auri prædicata consideratio-  
nem iuridicam habentia. 3. Corone visem præmiorum obtinue-  
re? 23.  
Quid aurum glebale? 4. Cur Corone electæ? 24.  
Quid aurum publicum? 5. Rationis præstantia secundum vul-  
gatum sententiam. 25.  
Aurum oblatitium largitionis spe-  
cies est. 6. Corona præmium Victoriæ. 26.  
Quando soluebatur? 7. Exemplo Romanorum declaratur 27  
Quatenus necessitatem in se ha-  
buit. 8. Corone triumphales olim e lau-  
ru. 28.  
Promissum necessario præstandum  
nisi remissum fuerit. 9. Corona obsidionalis graminea. 29  
Aurum comparatitium quid? 10. Corona Civica quænam? 30  
Aurum sacrarum largitionum  
quid? 11. Postea triumphalis ex auro fa-  
cta. 31.  
Aurum Obryziacum quid? 12. Triumphus olim solennes. 32  
Quando aurum hoc requisitum sit? 13. Victori aureæ corona oblata. 33  
Species cuiusdam tributi erat. 14. De triumpho Scipionis. 34.  
Aurum lustrale quid? 15. P. Decii. 35.  
Aurum coronarium varium, 16. Accipiebantur hæc corone ab ami-  
cis. 36.  
Aurum præstationem quandam de-  
notat in iure. 17. Claudio triumphanti oblata corona  
37.  
Aurum Corquarium tributi quæ-  
dam species. 18. Cur dictæ provinciales? 38.  
Vox Krohnen Stener unde. 19. Differebant a Prouincialibus quæ  
Corone olim multifarie. 20. a Senatu triumphatori mittē-  
bantur. 39.

*aurum* vt ex *cit. l. ii.* apparet a Senatu Imperatorib9, vel initio Imperii, vel post victoriam a principe partā, vel etiam quinquennialib9, aut decennialib9, tertioq; Imperatoris lustro, vel alias ob causas, maxime liberalitatis vel lætitiæ testandæ gratia. Licet vero sponte offerretur, tamen collatio hæc specie necessitatis aliquam in se iam habuit, vbi decretum Senatus semel de eo factum fuerat. Gothofr. *cit. l.* Imo & Imperatoribus semel promissum necessario solui debebat: hinc in *l. 9. C. Th. eod.* de exactoribus disponitur, nec aliter Senatus ab hoc liberari poterat, nisi remissum vel in totum vel pro parte fuerat, ceu eiusmodi remissionis pro parte occurrit exemplum in *l. 14. eod.* vbi Imperator. Theod. & Arcad. aurum oblatitium, Valentiniano III, promissum, partim remiserunt. Qua vero occasione hoc aurum oblatitiū Valentiniano a Senatu fuerit promissum, sufficienter & plenius exsequitur Iac. Gothofr. in not. *ibid.*

10 Adhuc alia species *Auri* apparet in *L. 5. C. Th. de Milit. Vest.* quod dicitur *comparatitium*. Consistebat autem in certo canone, præstando a prouinciis plerisque orientis, ad comparandas vestes militares. Excipiēbantur autem, ceu ex *l. all.* apparet, duæ prouinciæ Osröene & Isauria, quæ vestem militarem ipsam, non aurum hoc comparatitium, præstabant. De modo ipso conferendi hoc tributi genus in ipsa lege disponitur. Erat & *aurum sacrarum largitionum*, de quo in *l. 48. C. Theod. de Curs. publ.* & videtur idem esse ac aurum publicum de quo *n. 5.* In specie vero de eius transmissione per cursum publicum, quomodo scilicet ea sit faciēda, ibi disponitur. Neque prætereundum *Aurum Obryziacum* vt dicitur in *l. vn. C. Theod. de Obl. vot.* vel *obryzatum* vt appellatur in *l. vn. C. de oblat. vot.* (quæ duæ locutiones nihil tamen in re ipsa diuersi habent. Dn. Præs. *disp. de Auro Obryzo & Argento pusulato c. 1. §. 2.*) estque purissimum, vel natura tale, vel artificio h. e. flammæ edacis examine pu-

rum

rum redditum. Dn. Præf. *ib.* §. 3. 4. 5. Eiusmodi aurum re- 13  
quirebant Imperatores in solenni oblatione votorū sub au-  
spicium felicitatis anni. Munus enim hoc principi offerri soli-  
tum, votum dicebatur. Constituere vero in *l. cit.* Impp.  
Arcadius & Honorius, quod hanc deuotionem a Senatu li-  
benti animo suscipiant, sed eo modo, quo dictum. Erat ex- 14  
go species cuiusdam tributi singulis annis sub initium præ-  
stari soliti. Formulam oblationis eiusmodi votorum ex-  
hibet Iac. Gothofr. *ad cit. l.* Cæterum hic conferri pote-  
runt, quæ in *cit. disput. de Aur. Obryz. & arg. pusul.* hac de re  
plenius differunt.

Hicse iungamus *aurum lustrale*, de quo mentio fit, in 15  
*tot. tit. Cod. Theod. de lustrali conlatione.* Quod aurum lustra-  
le erat certa præstatio seu vectigal, quod iuuandæ Reip. cau-  
sa negotiatoribus, qui transferendarum mercium curam  
habebant, indicebatur. De quo prolixius consuli potest Ia-  
cobus Gothofredus in *Commentar. ad Rubricam & singulas Le-  
ges d. tit.*

Tandem se *Aurum Coronarium* sistit, quod non vnus 16  
naturæ videtur fuisse, variauit enim pro temporum ratio-  
ne, ceu ex dicendis apparebit. Sicuti vero ex omnibus ha- 17  
ctenus enarratis speciebus auri apparuit, per *aurum* in iure  
olim *præstationem* quandam, vel voluntariam, vt in auro o-  
blatio; vel *necessariam*, vt in *Gleballi & comparatio*; vel *mix-  
tam*, vt in auro *obryzato*, intelligi, & sic vbique pensionem seu  
tributi speciem in auro præstari olim solitam inuoluere: ita 18  
& per aurum in hac materia quædam præstatio, pensio, seu  
tributum intelligitur, & quidem tale, quod in coronis præ-  
statur, vt proinde Græci hoc aurum coronarium *σεφαινη-  
τικὸν κανόνα* appellauerint Dion. Gothofr. in *not. ad l. vn. C.  
de Aur. Coronar.* vel *σεφαινητικὸν φόρον* Grot. *ad l. 1. Maccab. c. 10.  
v. 29.* Germ. *Krohnen* & *Steur*: quæ appellatio non ex pro- 19

B

prio

prio ingenio excogitata, sed ab ipso B. Luthero in S. literarum versione usurpata, ceu apparet ex *loc. cit.* Hinc convenientissimum hoc vocabulum Rubricæ nostræ ex S. Literis addidisse, nemo nobis vitio vertet.

- 20 Vt vero distinctius in enucleatione huius auri coronarii procedamus, præsupponendum ex Gellio *l. 5. c. 6.* multifarias olim coronas fuisse, omnes tamen eo directas, ut præmio bene merentibus in bello essent, & ita hac sub spe accipiendæ coronæ reliqui milites ad dimicandum eo alacriores fierent. Ita enim (vel Icto Vlpiano teste in *l. 1. ff. de*
- 21 *l. 1. § 1.*) doctrina gentilis ferebat, propositione præmiorum bonos, h. e. virtuosos reddi homines posse, & hinc tam varia media excogitarunt, quæ præmiorum locum obtinerent. Vnde Carol. Paschal. *de Coron. l. 5. c. 2.* audacter *Premium, inquit, est egregia humane imbecillitatis fultura, ignavia stimulus, animo, iam per se ad res præclaras eunti, haud parvum incentivum* Quanquam vero velle hoc exemplo appareat, Gentilium doctrinam moralem intime superbia depravatam fuisse, & virtutes fere omnes ambitione directas & quasi excultas fuisse (virtuosum enim & bonum esse propter præmia, quid aliud est, quam eo anniti, ut quis dignus omnibus summis honoribus, per præmia repræsentatis, publico iudicio vulgi habeatur?) tamen id simul liquidum est, vnanimi fere omnium consensu Gentium, Coronas singularium præmiorum vicem sustinuisse. Necessario enim eiusmodi medium excogitandum & in praxin deducendum erat, quod quidem sumtibus haud magnis comparari, interim egregiæ virtutis præbere testimonium queat.
- 24 Et, ni fallor, recte Carol. Paschal. *de Coron. l. 5. c. 3.* rationem quærit in communi illa persuasione de excellentia capitis, quod corona circumambit: Caput enim hominis pro se
- 25 de animæ vulgo reputatur: In capite intellectus & ratio  
sua

sua officia præstant: Per rationem nos distingui a brutis autumant, imo per rationis culturam nos Deo propiores & similiores reddi, & sic ipsam rationem diuinæ particulam mentis esse. Sed si hæc præiudicia paganizantia digne, essent excutienda, nimis ab instituto nostro dilaberemur, præsertim cum sanioribus Christianis, ex ipsis sacrarum litterarum fontibus, iam vanitates huius doctrinæ, de rectitudine & præstantia rationis, notæ sint. Sufficit nos inuenisse fontem, cur coronæ imprimis præmiorum vicem repræsentauerint.

Imprimis vero præmium victoriæ constituebat, vn- 26  
de haud raro similia in S. literis desumpta sunt 2. Tim. 4, 7. 8.  
*Apoc. 2, 10. Jac. 1, 12.* quod corona iis sit destinata, qui victo-  
riam de mundo reportarint & in certamine fortes se præ-  
buerint. Certe ipsi Romani hunc morem victores coro- 27  
nandi imprimis sancte seruarunt. Neque hic respicieba-  
tur ad aliquod lucrum ex præmio captandum, sed ad solam  
gloriam, quæ inde dependebat. Nam erant coronæ leuis-  
simi pretii. *Corona triumphales* teste ipso Gell. *cit. l. antiqui-* 28  
*tus e lauru erant.* *Corona obsidionalis*, quam illi, qui liberati  
erant obsidione, duci dabant, graminea erat, ex illo gramine  
confecta, quod in loco eo generatum esset intra quem clau-  
si erant, qui obsidebantur. Efronde querna vel ilice coro- 29  
na dabatur a ciue cui, a quo in discrimine vitæ seruatus e-  
rat quæque *ciuica* dicebatur. Quin & alii in certaminibus  
tales dabantur. vid. Salmuth. ad Panciroll. *Res memorabil.*  
*lib. 1. tit. 42.*

Sed progressu temporis, accedente ad ambitionem 30  
auaritia, sola gloriæ cupiditas absque splendore quoque ex-  
terno, & pretio ipsarum coronarum, non videbatur suffi-  
ciens esse, hinc triumphales coronæ ex auro fieri coeptæ  
sunt. De his aureis coronis hæc habet Gellius *lib. 5. c. 6.*

*Triumphales coronæ sunt aureæ, quæ Imperatoribus ob honorem triumphî mittuntur, id vulgo dicitur AVRÏM CORONARIÏM.*

- 31 His verbis nobis aperit aditum perueniendi ad originem *auri Coronariî*. Videlicet Triumphî olim solenniter decernebantur victoribus seu Imperatoribus, & cum solennibus insignibus peragebantur, quæ *ὡς ἐν συνόψει*, exhibentur a Pancirolo *Lib. 1. de Memorabil. tit. 57.* Inprimis autem victoribus donari solebant aureæ coronæ, quæ in ipso triumpho solenniter ferebantur; quin Auream Coronam gemmisque ornatam, seruus publicus sustinebat, hoc etiam atque etiam subiiciens: *Respice futura & hominem te esse cogita.* Barnab. Briffon. *de Formulæ solennib. pop. R. verb. l. 4. p. m. 352.* Et sic coronæ hæ ad decorandum triumphum maxime faciebant, id quod infinitis exemplis ex historiæ antiquitate constat. De L. Scipione triumphum publicum agente, memorat Liuius *l. 38. c. 58.* quod tulerit in triumpho aureas coronas CCXXXIV. Publium Decium Consulès ob res egregie gestas Aurea Corona donauerunt, quin & Cathaginenès eo tempore ad gratulandum legatos Romanam miserunt cum Aurea Corona quæ fuit pondo 25. teste eodem Liuius *l. 7. c. 37. & 38.* Consueuerant enim bene rebus gestis Imperatores, ab amicis, fociis, prouinciis, aliisq; has coronas accipere, (vt Hirtius *de bello Alexandr. c. 70. in f.* testatur, exemplûq; de Pharnace, Cæsari coronâ aureâ mittente, refert) quoties scilicet triumphum victori decretum esse percreeberat, aut cum res gestæ eius tantæ erant, vt ei iure triumphus denegari non posset. Paschalius *de Coron. l. 8. c. 6.* Claudius Imperator cum de Britannia triumpharet, a Gallia comata accepit coronam constantem nouem pondo, ab Hispania vero aliam, quæ septem pondo habuit. Pliuius *lib. 33. c. 3.* & quia, plerumque triumphatoribus e prouin-

vinciis mittebantur gratulationis ergo, dicebantur *Prouinciales*, quod liquido apparet ex verbis Tertull. *de coron. milit. Sunt, inquit, & prouinciales aureæ, imaginum iam non viro- rum capita maiora quærentes.* Vnde constat eas fuisse ma- iores & ponderosiores. Paschalius *de Coron. lib. 8. c. 6.*

Erat vero differentia inter coronas has *prouinciales* & quæ a Senatu triumphatori decreta erat, quæque, vt antea vi- sum, a seruo publico præferebatur, & figuram laureæ re- præsentabat, adeoq; & insignis laureæ, ad differentiam lau- reæ i. e. coronæ contextæ e duob; ramulis lauri dicebatur, Paschal. *cit. l. c. 1. l. 8.* Hæc deponerebatur apud Iouem, ad cuius templum, perfecto & absoluto prope triumpho ouans pro- perabat, & ita coronam illam insignem in ipsius gremio deponerebatur: Paschal. *c. 3. lib. 8.* illæ vero manebant apud eum, cui mittebantur Paschal. *cit. l. 8. c. 1.* quæque plerumque ma- gno numero solennibus in triumphis conspiciebantur. Insignis triumphus L. Pauli Æmilij describitur a Plutarcho *in vit eiusd. p. 273. in fol.* vbi postquam solennitates plurimæ relatæ, tandem inquit: *lit. D. ἐφεξῆς δὲ τῶν τοῖς ἐκο- μίζοντο χρυσοῖ σέφανοι τετρακόσιοι τὸ πληθὺς αἰπόλεις ἀρι- σία τῆς νίκης τῶ Ἀμιλίω μετὰ προσβείων ἔπεμψα* h. e. sub his coronæ aureæ quadringentæ numero translata dona ci- uitatum Æmilio cum legationibus victoriæ causâ missæ. Non minus coronis conspicuus triumphus fuit L. Sicinii Dentati. Huic enim teste Valerio Maximo *lib. 3. c. 2. §. 26.* præferebantur aureæ Coronæ octo, ciuicæ 14, murales (de his videatur, Gell. *cit. l.*) tres, obsidionalis vna. De Ly- sandro memorat Plutarch. *in vita eiusd. p. m. 442. in fol. lit. a.* quod ei tanquam homini δυνατωτάτῳ potentissimo, & Græciæ quodammodo Domino, complures coronas do- nauerint: vt adeo mos bene merentibus in bello coronas offerendi apud Græcos etiam frequens fuerit. M. Fuluii trium-



- triumphus depingitur a Liuiio *lib. 39. c. 5.* & hoc simul adiungitur, quod Aureæ Coronæ centum ante currum latæ
- 45 fuerint. In triumpho Cneii Manlii conspicuæ fuerunt coronæ aureæ 200 *Id. cit. l. c. 7.* Sed postea idem triumphum egit, vbi medius honos ei fuit habitus, & sic tantum 52. coronæ aureæ latæ. *Id. cap. 29.* In Terentii triumpho, descripto ab eodem Liuiio *lib. 4. c. 17.* tantum duæ aureæ Coronæ fuerunt. Q. Fuluius Flaccius ex Hispania ouans rediens, in triumpho tulit coronas aureas centum viginti quatuor *Id. cap. 43.*
- 47 Cæterum extra publicum solennemque triumphum non infrequens quoque erat Victoribus mittere coronas aureas. De Græcis refert Curtius *lib. 4. c. 5.* quod ex concilii sui decreto duodecim ablegauerint ad Regem Alexandrum, qui ob res, pro salute Græciæ ac libertate gestas, coronam
- 48 auream donum victoria ferrent. Sic de Alcibiade refert Plutarchus *in vita eiusd. p. 210.* quod ob res bene gestas in reditu in patriam coronis aureis donatus, ac terra mariq; imperator cum libera potestate creatus fuerit, & Euryptolemus in concione ad Athenienses habita apud Xenophontem *Histor. Græc. libr. 1. in fin.* concludit, omnino æquum esse, vt victoria potiti coronis ornentur.
- 49 Videtur vero mos coronas etiam extra solennem triumphum mittendi nimis in abusum tractus; præsertim Imperatorum & Ducum belli auaritia magis extorquente coronas, seu aurum coronarium, quam accipiente, hinc lege publica cautum fuit, ne quis aurum coronarium acciperet, nisi triumphus ei iam decretus sit. Occurrit hac de re elegans apud Ciceronem *orat. in L. Pison. p. m. 762. lit. F.* locus, vbi ita: *Mitto aurum coronarium, quod te diuissime torfit, cum modo velles modo nolles, lex enim generi tui est decerni & te accipere vetabat, nisi decreto triumpho.* In quo

quo tum accepta tamen & deuorata pecunia Vtinachorum, centum talenta enomere non poteras.

Solenniter vero ita decreto triumpho solenni legatione a ciuitatibus & prouinciis aurum coronarium offerebatur & oratione præuia victoribus, gratulationis ergo, donabatur. Eiusmodi formulam seu typum orationis, quam recitare debebat Legatus, coronam Imperatori vrbis alicuius nomine offerens ex Menandro Rhetore *cap. περί σεφανωτικῆς* p. 632. adducit Iac. Gothofr. *ad l. 1. C. Tb. de Auro Coron. inf.* vbi hæc habentur: Μετά τὴν ἀνδρείαν τὰ κατὰ τὸν πόλεμον ἐρεῖς, καὶ λοιπόν περὶ τὴν εἰρήνην, καὶ μετὰ ταῦτα ἐπάξεις: ὅτι, τοὶ γάρ τοι, διὰ τὸ το σεφανοὶ σε ἡ πόλις ἀμα μὲν χάριτας ἐκτείνουσα ὑπὲρ ὧν ὡς ἡμεῖς εὐεργετήμεθα: ἀμα δὲ καὶ δεομένη καὶ ἰκετεύουσα καὶ θαρρῶσα τῇ σῇ περὶ πάντα Φιλανθρωπίᾳ ὅτι ὑδενὸς ἐντεύζεται. Εἶτα ἀξιώσεις ἀναγνωθῆναι τὸ ψήφισμα. h. e. *Post argumentum de fortitudine (Principis) dices de rebus eius bellicis: deinde de iis, que in pace agit. Post hæc adiicies: Propter hæc igitur coronat te (o Princeps) nostra ciuitas, & beneficia tua, quibus in dies ornatur, prædicat: simul rogat & supplicat, aut potius confidit in bonitate tua, quia nullius rei petende causa te adire opus erit. (quasi sponte Princeps daturus sit omnia) Deinde petes, vt recitari decretum ciuitatis (Princeps) permittat. Vbi pro faciliori intellectu obseruandum, prima & vltima verba instructionem legati, & media tantum ipsam formulam, continere.*

Cæterum cum aurum hoc coronarium prouinciale, seu a prouinciis victori oblatum, præmium victoriæ esse debebat & gratulationis ergo offerebatur, supra iam dictum, hoc ipsum apud victorem mansisse, nec in publicum aut in ærarium collatum esse; quanquam id velit Henricus Valerius *ad Ammian. Marcell. lib. 25.* ad verb. *coronarium indultum* inquit: *Ab hoc auro coronario, distingvende sunt coronæ aureæ, quæ olim in libera Republ. Prætoribus aut Consulibus dabantur*

*bantur a Regibus ac Prouinciis & ciuitatibus liberis, ad ornamentum triumphi, quod aurum postea in ærarium referebatur. Si enim id de auro coronario ipsi Victori oblato a prouinciis intelligatur, falsum est omnino, illud ipsum in ærarium fuisse collatum: Si autem de coronis aureis magis ciuitati populoque Romano ab exteris misis, quam victori, aliud vtiq; dicendum. Et huc refero Carthaginensium legationem Romam factam cum coronæ aureæ dono, quæ in Capitolio in Iouis cella fuit posita, testante Liuius lib. 7. c. 38.*

- 55 Tentabat tamen P. Servilius Rullus Tribunus plebis per legem Agrariam hoc quodammodo immutare, constituendo, vt in fauorem plebis decemuiui crearentur, qui omnes agros publicos, qui vel extra vel in Italia essent, venderent, partim colonis imposito vectigali diuiderent, partim agros priuatorum emerent. Inter alia huius legis
- 56 capita quoque Imperatoribus & victoribus iniungebatur, *vt quicumque de prouincia decesserit, apud eosdem decemuiros, quantum habeat præde manubiorum, auri coronarii, profiteretur. Deinde iubebat, aurum, argentum, ex præda, ex manubiis, ex coronario, (auro scil. vid. Dion. Gothofr. in not. ad Cic. orat. iam citand.) ad quoscunque peruenit, neq; relatum est in publicum neq; in monumento consumtum, id profiteri apud decemuiros, & ad eos referre, Cic. orat. 16. de Lege Agrar. p. m. 418. ad emendos scil. agros. Cic. orat. 15. p. 401.*

- 57 Verum lex hæc non habuit effectum, postquam Cicero, publicis orationibus ad populum, eam dissuasisset. Ostendebat enim, iniquum fore, imo contumeliosum, Imperatores excutere, nec ob aliam causam Pompeium a Rullo ab hac professione & collatione auri Coronarii fuisse exceptum, quam quod metueret, ne ille eandem contumeliam quam cæteri, ferre non possit. Addit porro, Decemuiros eo ipso appetere iudicium de Imperatoribus, quantæ

tæ scilicet cuiusque manubiæ fuerint, quid relatum, quid residuum sit. Imo finem illum, propter quem illud aurum coronarium in publicum referendum sit, ostendit esse inuidiæ & periculi plenum. Volebat enim Rullus, ut pecunia in agrorum emtionibus consumeretur, & in istos agros deducerentur Coloniae &c. Cic. *orat. 15. de Lege Agrar.*

*p. 401.*

Si itaque hætenus dicta in compendio reuoluimus, manifestum est, auri coronarii initia esse repetenda a triumphis Imperatoribus sub statu Democratico decerni a S. P. Q. R. solitis, & fuisse præmium, seu donum aliquod in aureis coronis consistens, sponte ab amicis, sociis, ciuitatibus & prouinciis victori, triumphum agenti, gratulationis ergo per legatos solenniter oblatum; quodque ei in triumpho præferabatur, cuiusque proprietates penes ouantem semper manebat.

Post, ubi Augustus popularem statum Romanum in Monarchicum conuertebat, minime aurum coronarium est sublatum, quin potius eius ratio variis modis aucta & ad maiorem necessitatem deducta. Quo maior enim horum Imperatorum tunc potestas erat, eo liberiori modo disponebant de auro hoc coronario. Et quidem oblatum his aurum hoc fuisse ob victoriæ partem, dubium nullum habet, & supra relatum exemplum de Claudio Imperatore triumphante de Britannia confirmat.

Sed non substitit in hisce limitibus oblatio auri coronarii, sed ad alios quoque casus extensa. Apparet hoc ex *L. 4. C. Theod. de Aur. Coron.* ubi Impp. ita disponunt. *Quæ diuersarum ordinis curiarum vel amore proprio, vel indulgentiarum letitia, vel rebus prospere gestis admoniti, in coronis Aureis, signisque diuersis obtulerint in quacunque fuerint oblata materia, in ea suscipiantur, ne id quod voluntate offertur, occasione obryzæ incre-*

C

men-

*menti necessitatis iniuria insequatur.* Concise hic pleraque membra mutati auri coronarii continentur. Et primo quidem exinde manifestum est, Imperatoribus aurum coronarium oblatum fuisse etiam ob alias causas, quam ob victoriam. Sic adoptionis causa oblatum fuisse aurum hoc, testatur Capitolinus de Antonino Pio *in eius vita p. 18.* inquit: *Aurum Coronarium, quod adoptionis sue causa oblatum fuerat, Italici totum, medium provincialibus, reddidit.*

63 Porro ob auspicia regni & Imperii aurum coronarium oblatum nonnunquam fuit. Iuliano Imperii sceptrum capessenti oblatum fuisse, docet Eunapius. vid. Iac. Gothofr. *ad l. cit. 4.* Eodem modo Tripolitani Seuerum & Flaccianum legatos creasse & victoriarum aurea simulacra Valentiniano ob imperii primitias obtulisse dicuntur. vid. Ammian. Marcell. *lib. 28, cap. ult.* Neque vero hodie infrequens est, talia munera sub primordio regni offerri a subditis, quin recentissimum exemplum principis Andegauensis, ad solium Hispanicum euecti, id luculenter testatur, cui etiam a Galliae incolis, per quorum ditiones transitum habuit, solennia munera gratulationis ergo sunt oblata. **Quin** publicum terrarum Brandenburgicarum gaudium Augustissimo suo Regi, qui nuper Regale Diadema sibi imposuit, per aliquot dies eandem promptitudinem & deuotionem exhibuit, & infinitum foret, si hoc thema pluribus exemplis illustrare vellemus.

66 Deinde, nato Principi filio, vel etiam ob aduentum eiusdem hoc aurum coronarium oblatum fuit Paschal. *de Coron. lib. 8. cap. 11.* Sic Edeffeni Iuliano aduenienti hoc obtulerunt teste Zosimo *lib. 3. p. 714.* De hoc ipso Eunapius *in excerpt. Legat.* refert, quod coronas aureas admiserit, quas vrbes & prouinciæ solenniter ad eum ob aduentum misere; *μετὰ τὴν Ἰσλιάνη, inquit, τῆς βασιλείας ἀναγόρευσι πρὸς βῆμα πᾶν-*

πανταχόθεν συνέβαινον, & σεφάνοι πολλοὶ χρυσοὶ δι' αὐτῶ παρα-  
 τῶν ἑθνῶν ἀνεκόμενοντο: ἐν ταῦθα & οἱ τὴν Ἰωνίαν οἰκιστῆς. h. e.  
*Post proclamationem Imperii Iuliani legationes multe conuene-  
 runt cum coronis multis aureis, quæ ipsia Gentibus offerebantur:  
 Fuerunt etiam ibi Ioniam inhabitantes.* Porro Theodosio  
 iuniori Senatus Constantinopolitanus Heraclea Constan-  
 tinopolin reuerso, idem obtulit. vid. Iac. Gothofr. *ad cit. l. 4.*  
 Idem de Nisibenis prædicat Ammian. Marcell. *l. 25. c. 9. p.*  
*m. 438.* quod scil. Iouiano obtulerint coronam, qui ali-  
 quamdiu eandem recusans, coactus denique suscepit, ex-  
 clamante Siluano, causarum quodam defensore: *Ita Impe-  
 rator a ciuitatibus residuis coroneris,* quo ipso tamen finem  
 suum non obtinuere, ceu pluribus ibidem exponitur.

Imo qui vel ob aliam causam missi erant ad principes <sup>67</sup>  
 legati, hoc aurum coronarium offerebant: quemadmodum  
 exemplum affert de Synesio Iacob. Gothofr. *cit. l.* qui ad  
 Arcadium Imperatorem missus erat cum corona vt Cyre-  
 næ patriæ suæ calamitatibus succurreret, vbi simul verba,  
 Synesii hæc adducit: ἐμέ σοι πέμπει κερήνη σεφανώσοντα χρυσοῦ μὲν  
 τὴν κεφαλὴν, Φιλοσοφία δὲ τὴν ψυχὴν h. e. *Cyrene me ad te mit-  
 tit coronandi ergo, caput quidem auro, animam vero sapientia.*  
 Cæterum non tantum gratulationis ergo coronæ aureæ <sup>68</sup>  
 postea oblata, sed etiam in signum subiectionis imo etiam a-  
 liquando a gentibus deuictis, ob vitam ipsis a victore con-  
 cessam. De Iuliano refert Ammian. Marcell. *lib. 23. c. 3. p.*  
*m. 356.* quod Saracenorum reguli gentium genibus suppli-  
 ces nixi, oblata ex auro corona, tanquam mundi nationum-  
 que suarum dominum adorarint. Et huc spectat Seruii de-  
 finitio auri coronarii ad *l. 8. Æneid. Virgil.* quod scilicet a vi-  
 ctis gentibus dabatur, & quod imponebant Imperatores  
 propter vitam concessam. Sed hæc præstatio auri coro-

narii plane exorbitans est, cum in necessitate, quadam consistat, & sic ad munera referri non possit.

- 69 Porro in hoc quoque natura auri coronarii mutata est, quod non præcise ad aureas coronas adstricta sit, vti quidem origo eius postulabat, sed sufficiant signa ab aureis coronis diuersa, vti Imperatores in *L. 4. C. Th. de Aur. Cor.* diserte fatentur. Non enim soletres vbi incipit, subsistere, sed tractu temporis varias mutationes admittit, quod exemplo Emphyteuseos, Feudorum
- 70 &c. liquido patescit. Hoc vero apparet ex muneribus Valentiniano oblati, consistentibus in aureis simulacris victoriarum, de quibus iam supra. Additur vero ratio hæc, quod aurum coronarium voluntate offeratur, & sic non præcise ad coronas restricta esse debeant munera; Mansit tamen nihilominus nomen auri Coronarii, ex eo quod in locum aurearum illarum Coronarum antiquitus offerri solitarum, sit introductum; Vnde & vox *Krohnen-Steur* ita iam intelligenda, vt non præcise supponamus pensionem seu collectas, in præstatione aurearum coronarum consistentes, sed saltim eiusmodi casus vbi olim aurum coronarium præstari solebat. Porro nihil interesse dicitur in quacunque materia oblatum fuerit.
- 71 In hoc ergo differt ab *oblacione votorum*, de qua supra dictum: Quæ quidem valde affinis huic auro coronario erat, Fiebat enim gratulationis ergo, sub auspicio noui anni, imò munerum; non tributorum, rationem habere videbatur, id quod apparet ex Symmachi epistola relata a Tac. Gothofr. ad *Lvn. C. de Obl. Pot.* vbi formulam offerendi his delineat verbis: *Sumite igitur defensores publica salutis solemniter Auro ducta munuscula, non quia diuitis metalli honore gaudetis, sed, vt nostra deuotio felicitis seculi testetur opulentiam. Bonis*
- 72 *Principibus bene parta libamus &c.* Sed in materia superest di-

diuerſitas. Exprefſe enim exigebatur aurum Obryzum, deinde æſtimatio libræ auri addebatur, vt ſcilicet vna libra auri ſolidos ſeptuaginta duos contineret, de qua æſtimatione plenius conſuli poteſt, quem ſæpe laudauimus, Iacobus Gothofredus *cit. l. 1.* Et hoc eſt quod Imperatores in *l. 4. C. Th. de Aur. Cor.* adiciunt, *ne occasione obryzæ incrementi neceſſitatis iniuria conſequatur.* Ex quo apparet, oblationes votorum non mere gratuita dona fuiſſe ſed tributi quoddam genus, quod tamen ab auro coronario ab initio longe abſuit. Quin cum in auro coronario offerendo modum ſæpe excederent ſubditi, ſtatuit Iulianus, ne ſolidis maiores coronæ aureæ deinceps mitterentur. Adducit hunc in finem locum quendam, ex Libanio *orat. funebr. in Iuliani necem p. 305.* Iacobus Gothofr. ad *cit. l. 4. de Aur. cor.* quæ, cum hanc rem egregie illuſtret, non pigebit adducere: *ὁ χρυſὸς δὲ ἔτος ἀνέμνησέ με χρυſῶν τε Φάνων ἕς αἱ μὲν πόλεις ἐπέμπον διὰ περὶ βίων, ἀλλήλας ὑπερβάλλουσαι τῶ σαθμῶ χιλίων ἕτ' ἑκατῶν, δις χιλίων δὲ ἐκείνῳ. Τάτων ὁ παρ' ἐτέρων ἔλκων πλέον, ὃ δὲ ἐπιτιμῆσάς τῶ μεγέθει, σαφῶς εἰδώς, ὡς ἐκ ἀνευ πόνου τὰ τοῖσ' αὐτῶν συλλέγοιντο, νομοθετεῖ, τὸν τε Φάνον ἀπὸ σατήρων ἐβδομήκοντα Φοιτῶν, τὴν μὲν τιμὴν ἰσὴν νομίζων ἐκατέρωθεν ἀνατάει, Φιλοχρημάτια δὲ εἶναι κέρδη ζητεῖν ἐν τιμῶν σχήματι.*

*h. e. Hoc aurum autem me commonefecit aurearum coronarum, quas vrbes miſerunt per legatos, vbi altera alteram ſuperabat libra. Hæc erat ſolidorum milium, illa vero duorum milium. Ex illis alia ponderis maioris erat. Hic autem reprehendebat magnitudinem beneſciens, quod non ſine labore eiꝰſmodi colligantur, & lege ſanciebat, ne corona ſeptuaginta ſolidos excederet, exiſtimans, honorem quidem vtriuſque poſſe eſſe æqualem, auari autem eſſe licrum querere ſub ſpecie bonorum.*

Proxime ad aurum coronarum quoque accedit aurum oblatitium, de quo ſupra iam mentionem fecimus, ſed tamen cum illo non confundendum, cæu facile ob arctam af-



- finitatem potest fieri. In hoc certe conueniunt, quod spontanee offerebatur, idque priuato amore, veluti principatus initio post victoriam a Principe partam, 77 quod fiebat in auro &c. Ast vero in aliis omnino discrepant, 1) aurum coronarium ab initio tantum victoriæ & triumphii decorandi gratia dabatur: Aurum oblatitium quoad suam primæuam indolem ex priuato amore etiam ob alias causas. Hinc aurum coronarium etiam 2) viguit in Republ. libera, priuatisque personis triumphum agentibus dabatur: at aurum oblatitium, postquam Principes thronum occuparunt, demum introductum, eiusque præstatio solis Principibus facta 3) Aurum coronarium, imprimis ab initio dabatur ab amicis focis, & mittebatur victori ex prouinciis, tractu temporis etiam a Decurionibus Principibus præstatur. Ast aurum oblatitium solus Senatus Principi suo offerebat *l. 5. C. Th. de Senat. § de gleb.* 4) Aurum coronarium quoad suam originem tantum in coronis præstatur, & sub Imperatoribus demum, vt in aliis signis quoque præstari possit, permissum. At aurum oblatitium consistebat in libris auri, adeoque magis tendebat 5) ad augendum Principis ærarium, sicuti aurum coronarium, ad honorem victori vel Principi exhibendum.
- 78 Porro ab hoc auro coronario sub libera Republ. differabant munera illa & dona, quæ Senatus populusque Romanus Regibus, exterisque nationibus & populis in tesseram fœderis, societatis, & amicitiae, offerre & mittere solebant.
- 79 Consistebant enim sæpius etiam hæc munera in aureis coronis, sed alium finem habebant, nec aureæ coronæ semper mittebantur. De honoribus Masinissæ habitis hæc
- 80 Lilius *lib. 30. cap. 15.* habet: *Postero die vt a presenti motu auerteret animum eius (Masinissæ) in tribunal ascendit (Scipio)*

& concionem aduocari iussit, ibi Masinissam primum Regem ap-  
 pellatum, eximisque ornatum laudibus, aurea Corona, aurea pa-  
 ttera, sella curuli, & scipione eburneo, toga picta & palmata  
 tunica donat & paucis interiectis: Lelium deinde & ipsum 81  
 collaudatum aurea corona donat & alii militares viri, prout a  
 quoque nauata opera erat, donati. De Eumene Rege Ro- 82  
 mam veniente Id. lib. 42. c. 14. ita: Omnes ei honores habiti do-  
 naque amplissima data cum sella curuli atque eburneo scipione.  
 Sic & vbi Romani legatos ad Masinissam gratulationis er- 83  
 go, ob recuperatum patrium regnum, mitterent, dona am-  
 placis data sunt, quæ ferrent Regi, vasa aurea argenteaque, to-  
 ga purpurea & palmata tunica cum eburneo scipione & toga  
 prætexta cum curuli sella Liuius lib. 31. cap. 11. De eodem Ma-  
 sinissa Appianus in Lybicus, referente Barnab. Briffon. de  
 Formul. lib. 2. p. m. 235 ita inquit: Μασανίσση δὲ Ῥωμαῖοι χερ-  
 σήρια τῆς συμμαχίας, ἐπέφανόντε ἀπὸ χεύρα ἢ σφραγίδα χεύρα ἢ  
 ἐπέμπον καὶ ἐλεφάντινον διφρον καὶ πορφύραν καὶ σολὴν Ῥωμαϊκὴν καὶ  
 ἵππων χευσσοφάλαρον καὶ πανοπλίαν, h. e. Masinissa vero Romani  
 dona propter societatem miserunt, scilicet coronam auream sigil-  
 lum aureum, eburneam sellam, purpuram, togam Romanam, &  
 equum phaleris aureis ornatum & armaturam vniuersam.

Legatis quoque a sociis missis munera oblata, Ptolemæi 84  
 legatis ex Scto missa sunt munera in singulos quinum  
 millium æris Liuius. lib. 31. c. 9. Antiochi legato centum mil-  
 lium æris munus missum Liuius lib. 42. c. 5. Et hæc quidem  
 a nostris non abhorrent moribus cum recentia exempla  
 Imperatoris tum Leopoldi, tum Ottomannici Regni, post  
 initam pacem amicitiae firmandae gratia, munera inuicem  
 mittentium, id apertissime doceant.

Fuerunt ergo hæc coronæ aureæ Regibus a populo Ro- 85  
 mano missæ mera munera, nec aliquam potestatem hic  
 sibi eo ipso attribuebat, Reges per aurearum coronarum  
 mis-

missionem in regalem dignitatem quasi constituendi, quamvis eo ipso Reges, qui antea iam tales erant, regali honore dignarentur & in declarationem publicam eiusmodi coronæ mitterentur. Et hunc in sensum accipio Dio-

86 nyl. Halicarn. *lib. 3.* verba: ὡσπερ γε νῦν Ῥωμαῖοι τὰ σκήπτρα καὶ τὰ διαδήματα δοῦνται τοῖς βασιλεῦσι, βεβαιῶντες αὐτοῖς τὰς ἐξουσίας h. e. *sicuti & nunc Romani scepra & diademata Regibus donant, confirmantes eis potestates.*

87 Equidem Scipio Masanissam quoque aurea corona ornauit, eumque primum Regem appellauit, ceu *n. 80.* dictum: Sed hæc appellatio erat tantum gratulatio publica, ob recuperatum regnum paternum, non quod demum per illam appellationem in regalem dignitatem esset euectus.

88 Vnde oppido inter se differunt, *coronas aureas offerre, & regalem dignitatem alicui conferre.* Prius, vt hæcenus dictum, magnificentiæ & gratulationis præbet argumentum, imo præmii vicem subit: quoad posterius, nemo ius præcipuum aliquod habere videtur, quo alios reges constituendi & appellandi facultatem prætere possit: Summa potestas in territorio, potentia quadam haud spernenda fulta, ratio constitutiua regalis dignitatis est, & sic is, qui præest cum summa potestate tali territorio, se, ipsum regem

89 constituit, appellat, declarat. Quod autem quandam potentiam simul requiramus, id ideo fieri censendum est, quod regalis dignitas eminentiam quandam singularem & prærogatiuam constituat, qualis absque potentia secundum mores Gentium non subsistit. Vnde regium diadema simul inuoluit Maiestatem *realem* h. e. summam vbiq; potestatem, *personalem* h. e. præ eminentiam in titulis honore, dignitate &c. Hinc audiendi non sunt, qui ex solis iuribus & potestate summa regiam dignitatem metiri volunt.

90 conf. Mulzius in *Repræs. Maieft. Imp. l. 1. c. 21. §. 1. & §. 3, n. 21.*

De

## PRÆSTATIONE AVRI CORONARI VOLVNTARIA.

## CONSPECTVS.

- C**onnexio, n. 1.  
*Præstationes Reip. faciendæ magis sunt necessitatibus n. 2.*  
*Subditi succurrere necessitatibus Reip. tenentur. 3.*  
*Auri coronari præstationes sublibera Republ. nullum respectum ad Remp. habebant. 4.*  
*Tributorum & auri coronarii differentie. 5.*  
*Obligatio ad aurum coronarium olim nulla. 6.*  
*Aurum coronarium, toto genere differt a tributis quoad primam originem. 7.*  
*Vnde ergo speciem collectarum habere possit? 8.*  
*Sub Regibus mutata auri coronarii facies. 9.*  
*Non vero ita in classem tributorum referendum videtur. 10.*  
*Transitus ad ipsum thema huius capituli 11.*  
*Tributa sunt fulcrum Reipubl. 12.*  
*Vlpiani hæc de sententia. 13.*  
*Vt & Iustiniani. 14.*  
*Tributa inducuntur ex necessitate & utilitate. 15.*  
*Tributa ex fine Reip. determinantur. 16.*
- Refertur Iustiniani de tributis constitutio. 17.*  
*Iustiniani verba de tributis etiam in luxum conferendis. 18.*  
*Iudicium de temporibus Iustiniani, 19*  
*De luxu Populi Romani in balneis & spectaculis. 20.*  
*Tributa ad luxum promouendum indici nequeunt. 21.*  
*Præsertim in Rep. Christiana. 22.*  
*Rationes politica adduntur. 23.*  
*Ziegleri sententia pro defensione Iustiniani. 24.*  
*Iudicium de illa. 25.*  
*Astutia Patriciorum in exhibendis populo spectaculis. 26.*  
*Causa luxuriae illius erat indifferens. 27.*  
*Collectæ Tyrannicae quid? 28.*  
*Utilitatis & necessitatis hæc eadem ratio. 29.*  
*Quando præstatio collectarum necessaria. 30.*  
*Utilitatis diuersi gradus. 31.*  
*Vbiq; tamen eadem adest subditorum obligatio. 32.*  
*An ergo omnes collectæ sint necessarise. 33.*  
*Dantur collectæ Voluntarie. 34.*  
*Exempla harum collectarum. 35.*

D

Na-

- Natura collectarum voluntariarum*  
36.
- Vnde proficiscantur?* 37.
- Oblatio einer freywilligen*  
*Steuer an ad collectas voluntarias*  
*referrri possit?* 38.
- Ratio decisionis.* 39.
- Exemplum in tributo Anglis familiari,*  
*quod vocatur, Bittschaf.*  
40.
- De Charitativo subsidio.* 41.
- Ratio ex regulis prudentiæ additur* 42.
- Exempla Cyri & Cambysis.* 43.
- Quomodo alia ratione, quoad modum*  
*exigendi, collectæ possint dici*  
*voluntariae.* 44.
- Illustratur præcorum Germanorum*  
*exemplo.* 45.
- Orbeda origo* 46.
- Quare hec adducta sint.* 47.
- Applicatio ad aurum coronarum.* 48.
- Auri coronarii præstatio voluntaria*  
*ex ratione deducitur.* 49.
- Qua ratione ad collectas reduci*  
*nequeat.* 50. seq.
- Præstatio auri coronarii a Decurionibus*  
*facta, collecta erat.* 52.
- Confirmatur Legibus, auri coronarii*  
*præstationem fuisse voluntariam* 53.
- Occasio l. vn. C. de Aur. Coron. refertur*  
*54.*
- Refertur sententia Amayæ, existimantis*  
*aurum coronarium per l. vn. cit. esse*  
*sublatum, cum refutatione.* 55.
- Coactio ad aurum Coronarium inuisa*  
*Imperatoribus.* 56.
- Ratio Amayæ abrogatum aurum*  
*coronarium ideo statuentis, quod a*  
*Gentibus deuictis originem traxerit,*  
*reiiicitur.* 57.
- Insulsa eiusd. applicatio l. 17. de stat.*  
*homin. refellitur.* 58.
- Notatur alia ratio eiusd. aurum*  
*coronarium superstitionem involuere.* 59.
- Nulla inde superstitionis occasio*  
*nata.* 60.
- Notatur porro Amayæ, asserens omnes*  
*coronas Ioni fuisse dedicatas.* 61.
- Iuliani dispositio de præstatione auri*  
*coronarii voluntaria* 62. seqq.
- Auri coronarii præstatio a Decurionibus*  
*facta.* 65.
- Nihilominus voluntaria fuit.* 66.
- Iacobi Gothofredi sententia, cur Decuriones,*  
*non Senatores, hoc aurum obtulerint.* 67.
- Iudicium de ratione Gothofredi.* 68.
- Alia ratio additur.* 69.
- Vtrum in decernendo auro coronario*  
*maioris partis vota sufficiant?* 70.
- Rationes dubitandi pro decurionibus.* 71.
- Applicantur ad alias ciuitates.* 72.
- Vbi auri coronarii præstatio necessaria,*  
*ibi rationes prædictæ valent*

*Lent.* 73.  
*In voluntaria præstatione auri coronarii diuersa decisio.* 74.  
*Sententia Ziegleri.* 75.  
*Ratio decisionis adiicitur.* 76.  
*Quando regula locum habeat, maior pars habet ius integri.* 77.  
 *Applicatio ad Decuriones* 78.  
*Quando decreta Decurionum ambitiosa.* 79.  
*Omnium consensu, collecta, de Willkom Schatz/ est soluenda.* 80.

*Collecta hæc ex mutua conuentione procedunt* 81.  
*Olim coronarium aurum collectum ab honorum venditionibus.* 82.  
*Quod reprobatur ab Imperatoribus.* 83.  
*Auri coronarii oblatio spontanea post fit necessitatis.* 84.  
*Remissione tollebatur hæc necessitas.* 85.  
*Exemplum remissionis huius in Augusto.* 86.  
*Consecraria inde necestuntur.* 87. 88.



Explicata itaque est capite primo natura & origo auri coronarii, iam ratio ordinis nos ducit ad illud thema, vt modum, præstandi aurum coronarium & iura circa illud varia exhibeamus. Equidem si nexum & Rerumpubl. indolem intuemur, animaduertimus, præstationes fere omnes Reipubl. seu illi, qui præest eidem, faciendas, ex Imperandi iure proficisci, & sic eas magis necessitatis esse, quam voluntatis. Deinde & illud expeditum est, obligatos esse ciues ad succurrendum necessitati publicæ quouis modo: quod autem ex obligatione fit, fit ex quadam necessitate, seu vinculo iuris; vt adeo præstatio voluntaria nullatenus cum vinculo obligationis subditorum subsistere posse videatur.

Verum hoc ipsum ad auri coronarii præstationem simpliciter applicari non potest, præsertim si originem eius *cap. i.* excussam & consideratam intueamur. Nam eo respectu præstationes auri coronarii nec Reipubl. nec illi qui hanc ipsam sub suo moderabatur regimine, sed Imperatori triumphatorique fiebant, nec vllum respectum tri-

D 2

buto-

- butorum aut collectarum publicarum habebant, sed aureæ illæ coronæ erant tantum præmium victoriæ. Nec præstabantur a ciuibus Reipubl. præcise, sed imprimis a fœderatis, sociis, amicis, prouinciis, in signum gratulationis; cum tributa e contra fluant ex obligatione subditorum & ciuium erga Rempubl. & præstentur necessitatis & vtilitatis gratia. Hinc mera munera & voluntariæ obligationes erant, nulla obligatione aurum coronarium extorqueute, quæ plane aliter sese habent in collectandi ratione, vbi intima obligatio. Ex quibus liquidum ni fallor, redditur, præstationes auri coronarii, secundum originem suam sub libera Romanorum Reipubl. consideratas, toto genere differre a præstationibus tributorum & collectarum.
- 8 Quorsum vero hæc? Videlicet rubrica indicat, aurum coronarium esse quendam singularem collectarum speciem, & hinc B. Luthero dici in versione Bibliorum dicitur **Krohnens-Steuer**; Videntur ergo hæc inter se pugnare, cum necessarium & voluntarium, obligatio & libera præstatio, non possint non diuersos fontes agnoscere.
- 9 Enimvero iam *c. l. n. 5. 4. seqq.* ostensum est, mutata facie Reipubl. etiam mutatam quodammodo fuisse rationem, coronarii, ita vt, quod antea solis triumphatoribus præstatur, paulatim sub Principibus ad solos Imperantes sit
- 10 translatum, vt id variis exemplis ibi declaratum est: Interim vero ne sic quidem videtur induisse naturam tributorum, sed præmiorum indolem & spontaneam obligationum speciem retinuisse, cum illud, quod gratulationis & publicæ lætitiæ testandæ causa summo imperanti exsoluebatur, ex illa obligatione, vnde causa tributorum est deducenda, neutiquam inferri possit.
- 11 Vt itaque inoffenso pede in hac materia progredi & il-

illa dubia e medio tollere posimus, operæ pretium esse duco, causam collectarum altius repetere, & totam controuersiam ad genuina reuocare principia.

Tributa & collectæ summum Reipublicæ conferuandæ 12  
& administrandæ sunt fundamentum, fatente Tacito *l. 4. Histor. Nec quies gentium sine armis, neq; arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt.* Vnde minime improbare possum Vlpiani sententiam in *l. 1. §. 20. ff. de quest.* vbi in tributis neruum Reipubl. esse asserit: qua de re plenius consuli potest Dion. Gothofr. in *Not. ad Nou. Leon. §. 2. lit. f.* vbi aliquot testimoniis hoc ipsum illustrat. Certe ipse Iustinianus Imp. in *Nou. 161. c. 2.* fatetur aliter conferuari non posse Rempublicam, nisi piētissima (licet uti stylo illis temporibus consentaneo, quamuis alias quodammodo superstitioso & fastuoso) *prestationes imporentur in publicum, ex quibus & militares nutriantur copie, vt resistatur hostibz, & per agros ac vrbes agantur excubia, persruantur item reliqui ordines attributis sibi salariis, reparentur quoque muri & vrbes, denique omnia alia proueniant, quæ communem subditorum utilitatem concernunt.* 14

Apparet exinde necessitatem & vtilitatem, introducendorum 15  
tributorum fundamentum esse. Georg. Mundius *de Mune & honor. c. 3. n. 117.* Besold. *de arar. publ. C. 4. n. 2.* Sicuti vero hæc ipsa necessitas & vtilitas ex fine Rebuspubl. 16  
præstituto, qui est felicitas & quies, suam determinationem recipiunt, ita quæ ab hoc fine aliena & remota sunt, ad causam tributorum seu collectarum minime reduci & referri posse videntur. Vnde nescio an excusari possit Iustiniani 17  
constitutio in *Nou. 149. c. 2.* vbi de necessitate collectandi ita disserit: *Impossibile est, vt sacris tributis non illatis aliqua Respubl. conseruetur. Militares namque copie assignato sibi salario inde percepto hostibus resistunt, & collatores a barbarorum incur-*



sonibus & truculentia vindicant, & denique agros atque ciuitates a latronum alioque modo incompositam vitam sectantium, vt & irruptionibus agendis excubiis defendunt. Ex illis etiam relique cohortes ea que ipsis attributa sunt, accipiunt, muri atque ciuitates indidem instaurantur. Hactenus bene; sed quæ iam

18 sequuntur, omnino notam aliquam merentur: *Publicorum balneorum*, pergit, hinc calefactiones procedunt, & postremo spectacula aliaque omnia que ad delectationem subditorum inuenta sunt, ex iisdem curantur: vt que ab illis contribuuntur, partim in ipsos, partim propter ipsos insumantur & impendantur, nobis autem prorsus nihil inde præter istarum rerum curas habere contingit, non tamen eas mercede vacuas, cum magnus ille & seruator noster Iesus Christus magnitudine clementie sue permultis propter hoc nos bonis remuneretur.

19 Fatendum quidem est, hæc ex seculi corrupti genio esse scripta, Christianismo tempore Iustiniani ad eas incitas redacto, vt luxuriæ, & omni effoeminatæ libidini & voluptati, publice indulgeretur: Balneis & spectaculis adeo deditus erat populus Romanus, vt in vtrisque in modum immodicum, luxuriaret, exuberaretque. De Thermis illis legi meretur Andr. Palladius *de Antiquit. urb. Romæ* & Vitruuius *L. 5. c. 10.* in quibus exstruendis, crescente paucipum luxuria magni sumtus fiebant, ita vt lauacra sæpe instar vrbium viderentur, nec mirum fuerit, ipsos etiam Principes ad frequentem thermarum vsum, deliciis ipsarum fuisse allectos. Henricus Salmuth ad Guid. Panciroll. *res memorab. L. 1. tit. 27.* vbi pluribus de luxu, effoeminato balneorum disserit.

21 Verum tributa indicere ad eiusmodi luxuriam & omnis mali originem promouendam, & fini Reip. & omni rationi, ne dicam principiis Christianismi, quibus tamen magistratus Christianus omnibus viribus se conformare & fontem

tem mali, quantum fieri potest, eradicare debet, repugnat. Sed ne digressionem hanc nimis extendere videar, ab- 22  
 go B. L. ad illa, quæ nuper publice disputata sunt ab Excell.  
 Dn. Buddeo *in dissert. de concord. Relig. Christiana statusque Ci-  
 vil. c. 1. & 2.* vbi plura præiudicia, falsique conceptus de ra-  
 tione status reïciuntur. Certe si politicis tantum rationi- 23  
 bus hic concertare volumus, liquidum est per eiusmodi lu-  
 xuriam & effœminatam lasciuiam animos ciuium molle-  
 scere, deprauari, & ad munia boni ciuis obeunda inhabiles  
 reddi, quo ipso non potest non finis Reipubl. eueri & tran-  
 quillitas vera concidere.

Equidem Ziegl. *de Iur. Maiest. lib. 2. c. 1. §. 5.* pro excu- 24  
 fando Imperatore hæc affert: *Balnea talia, inquit, & spe-  
 Etacula, cum efficacissimum regnandi & pacem conseruandi instru-  
 mentum continerent, ex publico arario se exhibere contestatur Iu-  
 stinianus, haud ignarus, non aliis studiis quietem publicam popu-  
 lo commendari posse.* Verum, quod pace summi huius viri di- 25  
 xerim, pessima illa ratio status est, quæ luxuriam & specta-  
 cula instrumenta pacem conseruandi & regnandi efficacis-  
 sima esse iubet. Præualuit hæc ipsa quidem in statu Demo- 26  
 cratico, populo Echnicifimo adhuc dedito, sed euentus vbi-  
 que docuit, patricos, per exhibitionem eiusmodi spectacu-  
 lorum, fasces imperii sibi vindicare tentasse, quo ipso tamen  
 semper natae sunt ingentes discordiæ inter patricos & ple-  
 bem, ceu historiæ Romanæ & ipsa nostra iurisprudencia tes-  
 tantur. At Christianismo Romana intra moenia intro- 27  
 ducto, quæ ratio est, quæ vel hoc respectu, ne dicam de ra-  
 tionibus politicis supra n. 23. iam declaratis possit excusare  
 Imperatorem, quod per indictionem tributorum, ad hunc  
 luxum impendendorum; malum hoc, visceribus Reip. ad-  
 uersum, voluerit promouere? Sed ita ratio temporum fe-  
 rebat, quibus omnis luxuria sub specie honesti & indifferen-  
 tismi

tismi, eodem modo defendebatur, quo proh dolor! hodie. Grauius hac de re differit Klock. *de tributis c. 7. n. 83. seqq.* qui conferri potest.

- 28 Immutum ergo manet, iustam collectandi causam demum reuocari ad necessitatem & utilitatem publicam, adeo, ut si extra illam causam Princeps collectam aliquam, absoluta potestate indicat, eam Dd. appellant *collectam*, sic volo sic iubeo h. e. *Tyrannicam*, & omni modo impiam docente Klockio *cit. l. n. 4.* vid. *Mundius de Honor. & muner. c. 3. n. 46. seqq.*
- 29 Utilitas vero hæc & necessitas in publicis negotiis fere æquiparantur, ex vulgato illo Brocardico: *Salus, seu utilibus populi, suprema lex esto*, quæ enim ad beatitudinem civilem utilia sunt, necessaria quoque itidem sunt, quamuis ratio necessitatis & causa necessaria stringat fortius subditos, quam causa utilitatis, si subtili ingenio quoddam discrimen hic supponere velimus. Ziegl. *de Iur. Maiest. L. 2. c. 3. §. 9.* Et, hæc tamen præstatio collectarum est *necessaria*, cum necessarium illud hic dicatur, quod obligationem perfectam involuit præstandi illud, quod Reipublicæ debemus.
- 31 Optime tamen hic animaduertit prælaudatus Zieglerus *cit. l.* ipsam utilitatis rationem variare; alia enim ad necessitatem propius accedit, alia remotior ab ea videtur; Sic & euidenter alia est, alia minus euidens; alia ad singulos æqualiter spectat, alia magis vni quam alteri prodest; alia fructus suos statim prodit, alia demum post aliquot temporum interuallum &c. Interim hæc considerationes utilitatis obligationem ipsam non mutant, sed vbique subditi ad collectandum tenentur, nec si remotior vel aliquo modo minus euidens appareat utilitas, detractare onus collectandi possunt, quia illa est generalis pro summo imperante præsumtio,

tio, quod omnes actus secundum finem Reipubl. sit directurus, nec tributis inutilibus subditos oneraturus.

Quod si ergo hic subsistamus facile quis præcipiti iudicio inde inferre posset, omnē collectarum præstationem esse necessariam, nec dari voluntariam, cum ibi cesset necessario causa utilitatis publicæ & necessitatis. Verum caute hic ponderandum, necessitatem & utilitatem esse tantum fundamentum collectarum necessariarum, non omnium in genere: nam utique & collectæ voluntariæ dantur h.e. tales præstationes, quæ citra ullam necessitatem, nec intuitu resultantis inde alicuius utilitatis publicæ ad omnes pertinentis, summo imperanti fiunt; quales sunt, quæ fiunt honoris vel gratulationis exhibendæ gratia Anton. Perez in *C. de indict. n. 15.* quo referri potest, de *Willkommen Schatz* / quæ in solenni Principis adventu offeruntur Klock. de *Tribut. c. 1. n. 290.*

Propius ergo videntur accedere ad donationes & gratuitas largitiones, vnde illis hoc peculiare est, ut gratuito, liberaliter, absque coactione, obligatione, aut imperio superioris fiant, sunt tamen collectæ & tributa respectu contribuentium, qui ratam suam contribuere ad hoc munus tenentur. Proficiscuntur itaq; hæ collectæ ex legibus reverentiæ & amoris subditorum erga Principem, vid. *l. 4. C. Theod. de aur. coron.* ibi: *amore proprio* & eiusmodi collectis voluntariis suum erga eum obsequium efficacius testari annuntur; vbi tamen ingens ratione contributionis inter utramque collectam apparet diuersitas. De qua postea.

Neque vero ad classem voluntariarum collectarum referri duo casus debent, qui non raro occurrere solent. Primo, quando quidem adest summa necessitas vel utilitas Reipubl., imperans tamen ex regulis prudentiæ indi-

E

ctio-

- tionem collectarum omittit, contentus oblatione subditorum voluntaria *mit einer freywilligen Steuer*. Sufficit enim hic fundamentum necessariæ collectæ adesse, licet in modo & ratione indicendi has collectas Princeps iure imperandi & iubendi, imo quantitatem collectæ determinandi, uti nolit. Possent huc referri illud exactionis genus, quod Angli vocant *Benevolentiam Bittschag*/quodq; Eduardus IV. Rex Anglorum excogitasse dicitur. Egit enim cum amicis, ut sponte ad sumtus belli pecuniam erogarent, quod ipse ex ea re benevolentiam singularem emensurus esset, ut scilicet eum, qui plus daret, se plus diligere censeret: quem morem postea Henricus VII. quoque secutus est, restante Klockio *de Contribut. c. 1. n. 291. seqq.* ubi & Richardi I. Anglorum Regis exemplum adducit.
- 41 Solent alias quoque hoc appellare *charitativum subsidium*, (quamvis alias hæc vox restringi soleat ad magistratus ecclesiasticos. Klock. *de Contribut. c. 1. n. 258.*) quod extra ordinem a subditis, necessitate urgente, peti solet, & secundum vulgatum Dd. assertum omnes subditorum effringit circulos Georg. Mundius *de Honorib. & Muner. c. 2. n. 205. seqq.* Cum enim hic extraordinem onerentur subditi, prudentis omnino principis est, lenitate & modestia hic uti, nec animos civium rigido collectarum iussu exacerbare. vid. Mundius *de Honor & Muner. c. 7. n. 82. seqq.* De Cyro & Cambyse, Perfarum Regibus, Klock. *cit. l. n. 24.* refert, eos nihil circa tributa instituisse, sed spontanea tantum munera a subditis oblata fuisse.
- 44 Deinde & ratio Reipubl. efficere potest, ut contributiones quoad modum exigendi sint voluntariæ, licet quoad rem ipsam & necessitatis causam necessariæ sint. De priscis Germanis notum ex Tacito est, quod Principes eorum magis suadendi quam iubendi potestate præditi fue-

fuerint. Hinc & indictio collectarum imperatiua apud eosdem cessauit. Notat enim Tacitus, quod mos ciuitatibus fuerit vltro & viritim conferre principibus vel armentorum vel frugum copiam; (nam in his consistebant veterum Germanorum opes) quod pro honore acceptum, inquit idem, etiam necessitatibus subuenit. Vnde & 46 Orbeda suos videtur ducere natales, ceu erudite animadvertit Per-Illustr. Dn. de Rhetz in diff. de Orbeda c. 2. n. 25. quod scilicet spontaneam quandam certæ pecuniæ oblationem principibus suis olim factam denotet. Sic nempe, inquit prælaudatus Autor cit. l. n. 26. ein Orbed idiomate vocis indigenæ fuisse quasi ein erbiethen vel erbethe / nobis eine Erbietung / vel quod singularum ciuitatum incole, vel stato tempore, vel cum necessitates publicas nouissent imminere, ad præstandum aliquid pro modo facultatum velut se offerebant, nobis erbothen sich.

Postulauit hanc pleniorē indolis collectarum excusio- 47 nem ipsa ratio dubitandi, quæ scilicet fieri potuerit, vt aurum coronarium in censum collectarum reductum sit? Scilicet si illud secundum tempora vbi Imperatores sum- 48 mæ rerum præerant describere iam volumus, dicendum, quod fuerit collecta, seu pensio quædam, extraordinaria & voluntaria, ex libera oblatione & munificentia Decurionum profecta, venerationis testandæ, vel gratulationis ob felicitatem quandam singularem emergentem exhibendæ gratia, in muneribus aureis consistens.

Quod itaque auri coronarii præstatio fuerit volunta- 49 ria, & ratio, & leges ipsæ fatentur. Ratio quidem facillime colligi potest ex iis, quæ in genere supra n. 34. de collectis voluntariis diximus. Scilicet, cum nulla necessitate urgente nec vtilitate suadente, sed ex mera munificentia gratulationis ergo, & honoris exhibendi causa, vel ob res

- prosperè gestas, vel ob aduentum &c. offeratur, merito inter collectas voluntarias locum inuenit, quatenus sci-
- 50 licet a subditis summo Imperanti oblatum fuit. Quod enim ab aliis populis vel sociis offerebatur nescio, an amplius nomen auri coronarii, quatenus collectam voluntariam denotat, habere potuerit, etiamsi supponamus casum, vbi Princeps seu Imperator triumphum solennem egerit, & huius decorandi gratia a sociis & amicis aureæ coronæ ipsi oblatae fuerint cuius rei exemplum *cap. 1. de Claudio Imperatore triumphante de Hispania adductum est.*
- 51 Sed ita pristinam naturam aurum hoc coronarium induit, nec tam collectæ, quam solennium munerum, habet rationem. Collectæ enim inuoluunt respectum ad superiorem, & huic debentur & præstantur a subditis, Klock *de de Contribut. c. 11. n. 1. seqq.* adeo vt ex iure collectandi inducatur præsumptio vrgentissima pro superioris Jurisdictione in eos, qui collectam soluerunt. Dn. Stryk. *de*
- 52 *Obseq. Iud. inf. c. 2. n. 20.* Certe in Decurionibus qui ordinarie offerebant aurum coronarum diuersa erat ratio, cum hi subditorum vicem sustinebant, & sic collectam voluntariam eo ipso offerebant.
- 53 Sed etiam leges hic optime conspirant. Nam Impp. in *L. vn. C. de Auro Coron.* constituere: *ad collationem auri coronarii placuit neminem absque consuetudine esse cogendum.*
- 54 Videntur occasionem huic legi dedisse Præsidum prouinciæ exactiones rigidæ huius auri coronarii a Decurionibus, imo & ab aliis subditis; quo ipso sine dubio motæ sunt querelæ subditorum & Decurionum, hanc præstationem esse voluntariam opponentium, & sic rescribunt Impp., neminem ad hanc collationem esse cogendum.
- 55 Ex hisce præsuppositis iam sua sponte corrui quorundam

dam Dd. interpretatio, quasi Imperatores hac lege generaliter auri coronarii collationem prohibuerint, quæ sententia imprimis est Amayæ *ad l. cit. vn.* cum tamen in aprico sit, non nisi modum ibi prohiberi, seu ipsam coactionem ad hanc collectam. Quod & ratio ipsa euincit, quam Imperatores in *L. 4. C. Theodos. de Aur. Coron.* adiiciunt: *ne id, quod voluntate offertur, occasione Obryæ incrementi, necessitatis iniuria insequatur.* Adeo scilicet, coactio ad hoc aurum coronarium fuit Imperatoribus iniusta & odiosa, ut ne quidem permitterent, modum præscribi, in qua materia scilicet, offerri debuit. Conf. Iacob. Gothofr. *ad l. 5. C. Theod. cit. tit.*

Vnde & facile iudicium ferri potest de rationibus ab A-  
maya allatis, quas optimo iure Gothofr. *cit. l. iudicat inanes.* Quid enim inanius, quam ideo *bacl.* aurum coronarium abrogatum dicere, quod oblatio eiusdem originem duxerit a Gentibus deuictis, adeoque collectionem hanc indignam & odiosam visam, & quidem post Antonini constitutionem, qua omnes in orbe Romano ciues effecti sunt? Prius enim falsum est, originem huius auri coronarii a Gentium deuictarum oblatione arcessendam esse, hoc enim ceu *cap. 1.* diximus, postea demum aliquo modo admittum fuit: prima eius natura consistebat in præmiis, & honoribus victori a sociis, prouinciis, & amicis exhibendis. Deinde insulsa applicatio est *l. 17, ff. de Stat., Rom.* Posito enim, omnes illa ipsa constitutione Antonini ciues fuisse effectos, quomodo iam concludi potest, aurum coronarium ita esse indignum & odiosum? Offerebatur enim a decurionibus ex proprio amore ob publicam lætitiā, & sic præstatio eius voluntaria nullum respectum habebat ad ius ciuitalis Romanæ. Quin eo magis tunc illis hoc con-



ueniens erat; cum & olim illud præstarent, qui nullo iure Romanis subiecti erant.

- 59 Nec magis stringit altera Amayæ ratio, quod auri coronarii oblatio ad superstitionem causam præberet, quia coronarum vsus frequens in sacris Gentilium fuerit, eaque etiam Diis oblatae fuerint: Posito enim quod hæc omnia vera sint, tamen ad illius temporis statum, quo hæc L. lata, minime quadrant. Plena enim ibi omnia superstitionis erant, & clerici cum vniuerso populo ei mirum in modum indulgebant, vt adeo dici nequeat, propterea aurum coronarium fuisse sublatum, cum gratisima tunc
- 60 temporis fuerit superstitio. Deinde non sequitur: Coronarum vsus frequens fuit in sacris Gentilium, ergo ad superstitionem aurum coronarium tendit. Nam ita etiam omnes coronandi ritus hodierni essent abolendi; porro iidem Imperatores, qui auctores huius legis sunt, non præcise coronas aureas requirunt, sed *in l. 4. C. Theod. de Aur. Coron.* etiam signa diuersa admittunt, & sic sine dubio
- 61 etiam monetam auream. Denique vltima eiusdem ratio similis farinae est: Instat enim, huiusmodi coronas ob triumphum datas, triumphaturos Diis in templis dedicasse. Sed aperte confundit coronas aureas, a Senatu victori missas, de qua assertio Amaya vera est, cum illis, quæ gratulationis ergo a prouinciis mittebantur. In his vero principaliter aurum coronarium consistebat, & hoc apud victorem manebat, nec in templis Deorum Gentilium recondebatur. Hisce vero vltimis muneribus accedit illud aurum coronarium, quod Imperatoribus seu principibus postea oblatum est.
- 62 Sed redeamus in viam. Adeo videlicet præstatio auri coronarii voluntaria fuit, vt Iulianus Imp. *in l. 1. C. Theod. de aur coron.* expresse dixerit: *Aurum coronarium munus est*

*voluntatis, quod non solum senatoribus, sed ne aliis quidem debet  
indici, licet quaedam indictionum necessitas postulaverit & c.* Hanc 63  
indulgentiam auri coronarii, a Iuliano omnibus factam, in-  
tendit quoque Ammian. Marcell. *lib. 25. c. 4. p. 425.* inqui-  
ens: *Liberalitas eius (Iuliani) testimonia plurima sunt & ve-  
rissima inter quæ indicata sunt tributorum admodum leuia, coro-  
narium indultum & c.* Ipse Iulianus in Misopogone de se præ- 64  
dicat ἂδ' ἐπεγεδάσαμεν τὸ χρυσίον, *neque aurum* (puta corona-  
rium) *indiximus*, uti recte ita hoc interpretatur Valesius.  
*ad Amm. Marcell. cit. l.* ex quo patet, præstationem hanc  
tunc temporis, auiditate Principum anteriorum, in neces-  
sitate quandam abiisse, quam Iulianus sustulit.

Cæterum, quando præstatio voluntaria auri corona- 65  
rii fiebat, illa suscipiebatur a Decurionibus seu Curialibus,  
quod liquido apparet ex *l. 4. C. Theod. de aur. cor. it. l. 2. & 3.  
C. cod.* Non diffiteor tamen, aliquando præstationem hanc,  
a Decurionibus faciendam, fuisse necessitatis, qua de re  
plenius in *capite 3.* Illud interim ex *L. cit. 1. & 4.* apparet, ne 66  
mini potuisse indici, tempore Iuliani, ergo nec Decurioni-  
bus, imo & ex *l. 4. cit.* constat in Decurionibus, tempore  
Imperatorum Gratiani Valentiniani II. & Theodosii,  
præstationem hanc fuisse voluntariam.

Cur autem Decuriones hoc aurum coronarium obtu- 97  
lerint, & non potius Senatores Romani, paucis inquirendum.  
Equidem Iac. Gothofr. ad *l. 3. C. Theod. de Aur. Cor.*  
illam affert rationem, quod Senatoribus sua distincta col-  
latio imminuerit, glebalis scil. & auri oblatitii, coronarii  
vero præstatio peculiaris Decurionibus fuerit; hac porro  
subiecta ratione, quod auri coronarii præstatio, quocun-  
que tandem nomine prætexetur, subiectionis cuiusdam in-  
dicium fuerit, a quo Senatores alienos esse voluerint Prin-  
cipes, velut, qui pars corporis ipsius Imperatoris essent.

l. 3. C. Theod. ad L. Cornel. de Sicar. L. quisquis. 5. C. ad L. Iul. Mai. quam Senatorum dignitatem præminentem prolixè expendit idem *ad cit.* l. 3.

68 Verum, quod pace huius viri, in omni antiquitate eruditissimi, dixerim, licet hæc ratio quodammodo admitti possit, tamen valde subdubito, an subiectionis indicium auri coronarii præstatio fuerit, nam C. 1. vidimus, illud etiam ab exteris, fociisque fuisse oblatum. Deinde oblativum aurum eodem modo indicium subiectionis esse poterat, vt & præstatio auri glebalis, ad quam vtrique Senatores tenebantur. Simplicissima ergo ratio videtur repetenda ex antiquo more offerendi hoc aurum sub libera Re-publ. vbi victoribus a provinciis aurum hoc offerebatur, non a Senatu, nam aurea corona, a Senatu missa, non victori, sed templo Iouis, adiudicabatur. Iam vero Decuriones in municipiis erant, hæc autem in provinciis, & sic ex more antiquo retinuit naturam, vt provinciale esset h. e. ex provinciis oblatum. Vnde & Præsides provinciarum sæpe a curialibus hoc extorquere conabantur contra quos Imp. suas leges direxere. Non tantum vero vrbes, sed ipsæ quoque provinciæ hoc aurum offerebant, ceu *capite* 1. plura hac de re exempla adducta,

70 Porro in decernendo hoc auro coronario dubium, hæud leue moueri solet? vtrum sufficiat, illud ipsum comprobatū esse a maiori parte vniuersitatis, vel collegii, illud offerre principi volentis, hoc scilicet effectu, vt reliqui non consentientes ad contribuendam obligentur pro rata, an vero a singulis comprobari debeat, ita vt a contributione ad hoc aurum coronarium eximi debeant, qui non consenserunt?

71 Equidem si conditionem Decurionum, qui illud imprimis sub Imperatoribus præstabant, intuemur, decretum

tum maioris partis sufficisse videtur, ex regula generali in *l. 19. ff. ad Munic. ibi: quod maior pars curiæ effecit, pro eo habetur, ac si omnes egerint*, dummodo duæ partes ordinis adfuerint *l. 3. ff. de Decret. ab ord. fac.* ne paucorum absentia, siue necessaria, siue fortuita, debilitet, quod a maiore parte ordinis salubriter fuerit constitutum. *l. nominatim 45. C. de Decurion.* Quæ rationes etiam militare videntur in præstationibus a prouinciis faciendis, vel hodie in genere in ciuitatibus, quæ suo principi vel ob aduentum, (*den Wilkomm = Schag*) vel ob aliam causam, aurum coronarium offerre volunt. Nam nec hic consensus omnium ciuium videtur exquiri & haberi posse, cum expediendorum negotiorum gratia introductum iure Gentium sit, vt quod maior pars concludit, hoc minorem quoque, dissentientem licet, obliget: Vnde dicunt: *pars maior habet Ius integri* Grotius *de I. B. & P. lib. 2. c. 5. §. 17.* Ill. Dn. Cancellarius de Iena *de Rat. Stat. diff. 15. concl. 1.*

Verum bene hic respiciendum ad causam, ob quam aurum coronarium principi seu superiori offertur. Quod si enim fundamentum eius in aliqua vtilitate publica fundatum est, nascitur inde obligatio subditorum ad offerendum, & præstatio auri coronarii hæcenus necessaria est, & ita quæ regesta sunt admitto, quam rem pluribus *cap. 3.* vbi de præstatione huius auri necessaria acturus sum, excutiam. Sed si supponamus, vti hoc capite omnino factum, præstationem auri coronarii voluntariam, h. e. talem-oblationem seu collectam, quæ nulla yrgente necessitate vel vtilitate publica, solius deuotionis ergo conferretur, plane alia decisio obtinebit. *Nemo sane tum obligabitur,* inquit Ziegl. *de Iur. Maiest. lib. 2. c. 3., nisi qui consensit, nemo cogi potest vt consentiat, nec adigi potest vt soluat, qui aperte & manifeste dissensit. Non vna tum omnium causa est ante consensum, sed post*

consensum demum una fit, per unionem plurium idem placitum approbantium. Voluntas cuiusq; hic libera est, nec, si libera non esset, liberalitas dici posset. Et, paucis interiectis, ita concludit: non poterit igitur vniuersitas, propter donum alicui dandum, indicere collectas, neque cogere dissentientes, vt paria secum faciant, & eandem liberalitatem exercent.

- 76 Certe rationes harum conclusionum ex antea dictis repetendæ. Aurum coronarium dicitur, munus esse voluntatis omnemque necessitatem respuere. Contributio eius vniuersos vt singulos tangit. Ergo & ab omnibus approbandum, cum nulla necessitas vniuersos vrgeat, & sic
- 77 nec causa vniuersitatis dici possit. In iis vero rebus quæ ad singulos de vniuersitate, tanquam singulos, non vt vniuersos, spectant, non sufficiunt maiora vota, sed omnium ac singulorum approbatio est necessaria. Nic. Losæus de iure Vniuers. p. 1. c. 3. n. 52. Bodin. de Republ. lib. 3. cap. 7. p. 522. seq. Vbi vero deliberationes commune respiciunt bonum, ibi aliud dicendum, & sic minor pars se conformare debet ad placita maioris.
- 78 Nec dubito, quin illa, quæ hactenus sunt dicta, olim etiam in Decurionibus locum inuenerint, vt adeo diuersa decisio hic non sit formanda. Solent enim veteres, Dd. vbi de collectis voluntariis agunt, plerumque in hac materia recurrere ad l. 4. ff. de Decret. ab ord. faciend. vbi ambitiosa illa decreta Decurionum dicuntur, si largiti fuerint, h. e. si liberales de bonis municipalium fuerint, ipsisque per vota maiora necessitatem imposuerint, ad coronarium aurum pro rata conferendi vid. Ægid. Thomat. de Munerib. patrimon. §. ne scienter. n. 1. p. 343. vbi ex Bartoli aliorumque sententia concludit, talia Decreta esse ambitiosa, quando vniuersitas vult grauare renuentes soluere indictum
- 80 munus pro dono dando. Et huc referunt diserte den

Wilkom=Schag/ statuentes, hanc collectam vnanimi ciuium consensu esse decernendam. Christoph Wintzler *de Collect. obs. 4. n. 1.* Iacob. de Rimin. *conf. 709. n. 6.* Guid. Pap *dec. 631. n. 8.* Klock. *de Contrib. c. 6. n. 89. & n. 109.* Garz. *Mastril. p. t. decis. 49. n. 7. 8.* Quamuis itaque magistratus subal- 81  
terni iure collectandi destituantur, cum hoc demum ad regalia Principis pertineat; vid. Klock. *de contribut. c. 5. n. 102.* tamen hoc in casu collecta ex mutua contribuentium conuentione ac voluntate, atque ita in vim taciti pacti, subsistit, quæ tamen de regalibus censi non debet. vid. Klock. *cit. l. n. 104.*

Atque secundum hæc tenentia dicta diiudicari potest colla- 82  
tio auri coronarii, quatenus a Decurionibus vel prouinciis, & hodie a ciuitatibus quibusuis fieri sœuit vel debet. Interim nec semper olim legitimus modus obseruatus fuit, sed inualuerat, vt aurum coronarium colligeretur ab honorum venditionibus in curia Alexandrina, quibus videlicet nonnulli, auro contra dato, ad altiores gradus promoti, munerum quorundam curialium immunitatem emerabantur & emercabantur. Verum huic honorum mercimonio in tempore occurrere voluere Imp. in *l. 15. C. Theodos. de Legat. & decret.* vbi ita disposuere: *Et auro coronario, non (sicut nuper factum est) ab his colligendo, qui venditis honoribus, vt ad gradus altiores venirent contra licitum coemerunt, quos quidem recepta summa, quam dederunt, vniuersa munia patrie implere præcimus: sed a curia omni præstanda, vindicta huius facinoris tue sublimitati permissa.*

Sicuti vero illa quæ antea voluntatis erant, per consensum datum fieri possunt necessitatis: ita aurum hoc coronarium semel oblatum non amplius voluntatis liberæ negotium erat, sed necessario præstandum. Oblatio enim ista & Principis acceptatio subsequens, inducit ius in Prin- 84

44 CAP. II. DE PRÆSTATIONE AVRI CORON. VOLVNT.  
cipe ad exigendum hoc debitum, & obligationem in sub-  
ditis, ad præstandum: ceu alias donatio, antequam pro-  
missione alteri ius quærat, liberi arbitrii negotium est;  
sed postquam semel promissio de donando facta, iam ius  
perfectum inde nascitur, illud quod donatum, exigendi L.  
35. C. de donat.

85 Non aliter ergo ab hoc vinculo offerentes liberantur,  
quam ipsa Principis remissione. Cuius rei illustre affert  
exemplum Iacob. Gothofr. ad l. 1. C. Theod. de Aur. coron. in  
Augusto, qui aurum coronarium solenniter municipiis  
remiserat, ceu testem producit cit. Aut. Lapidem Ana-  
cyranum, in quo hæc verba insculpta fuisse dicuntur.:

86 QVÆ MIHI CONSTITERVNT. CIRCITER. MILLE-  
NIS. AVRI. CORONARI. PONDO. TRIGINTA.  
QVINQVE. MILLIVM. MVNICIPIIS. ET. COLONIIS.  
ITALIÆ. CONFERENTIBVS. AC. TRIVMPHOS.  
MEOS. QVINTVM. CONSVL. REMISI. ET. POSTEA.  
QVOTIESCVNQVE. IMPERATOR. M. . . . AVRVM  
CORONARIVM. NON. ACCEPI. DECERNENTIBVS.  
MVNICIPIIS. . . . QVÆ. ANTEA. DECREVERAM.

87 Ex quibus, ni fallor, concludi optimo iure potest, iam  
tempore Augusti præstationem auri coronarii non præci-  
se in coronis aureis, sed etiam in aureis nummis factam  
fuisse. Deinde & illud inde confirmatur, municipales  
ciuitates ad hanc collationem præprimis concurrisse.

88 Hæc vero remissiones, cum nihil aliud contineant,  
quam vt ab omni necessitate liberentur subditi, non impe-  
diunt, quo minus, vel sub auri coronarii, vel sub alio nomi-  
ne, ex libera voluntate sua, animi sui subiectionem deu-  
tionemque dono aliquo testentur. Quo magis enim Prin-  
ceps bonus a seuera indictione tributorum abstinet, eo  
promptius subditi succurrere Principi, eiusque curas, spon-  
tanea liberalitate, subleuare iure meritoq; debent.

CAP. III.

De  
PRÆSTATIONE AVRI CORO-  
NARIi NECESSARIA.

## CONSPECTVS.

- E**X voluntariis possunt fieri facile necessaria. n. 1.  
*Applicatur ad collectas. 2.*  
*Extraordinaria facile in ordinarias degenerant. 3. seqq.*  
*Exempla in orbeda & aliis casibus 5. seqq.*  
*Cautela pro subditis in offerendis voluntariis collectis. 8.*  
*Iuramentum Regis Gallia ratione collectarum. 9.*  
*Præstatio auri coronarii quomodo necessaria facta. 10. seqq.*  
*Ante Iulianum eius præstatio iam fuit necessaria. 13.*  
*Vt & tempore Valentiniiani & Valentis. 14. seqq.*  
*Rigorosa exactio Caracalla additur. 18.*  
*Eo tempore non amplius ipse corona præstabantur. 19.*  
*De auro coronario Damareta- no. 20.*  
*Theodosi Regis Gothorum præstatio coronarum. 21.*  
*De Sarraparum præstatione auri coronarii. 22. seqq.*  
*An præstationes auri coronarii ex consuetudine possint fieri necessaria? 24.*
- Rationes dubitandi. 25. seqq.*  
*Sepe hic de facto procedi a principibus ostenditur. 28.*  
*Quanam requirantur, ut consuetudo talis effectum habeat. 29. seqq.*  
*Sententia B. Brunnemanni. 31.*  
*De effectu consuetudinis in collectis. 32. seqq.*  
*Aëlius mere voluntarii aliquando recte imperantur. 35. seqq.*  
*An recte Iudeis hac necessitas, præstandi aurum coronarium imponatur. 38.*  
*Suppletur l. 17. C. de Iudeis ex Codice Theodos. 39.*  
*De præstatione hac Iudeorum ex Historia Maccabeorum. 40.*  
*Iudei olim templo binas drachmas soluebant. 41.*  
*& quidem in auro. 42.*  
*Flaccus id edicto prohibere conatus est. 43.*  
*Augustus tamen cum Agrippa id rursum eis indulgit 44. seq.*  
*Post excidium Hierosolymitanum patriarcha hoc tributum sibi vindicauit. 46.*  
*Cur vero hoc aurum coronarium dictum. 47.*



*Exigebant hoc Iudaorum Apostolis.*

48.

*Illustratur hoc exemplo Iudæ patriarchæ.* 49.

*Honorius hoc aurum coronarium a rario suo attribuit.* 50.

*Sed postea rursus abrogauit hanc legem.* 51. *seqq.*

*Post extinctos Patriarchos id exegerunt primates in Synedris.* 53.

*Rursus vero Theodosius Iunior id fisco applicauit.* 54.

*Differentia huius auri coronarii ab illo, de quo c. 2. 55.*

*Sententia Dd. de Iure Imperatoris nostri, exigendi hoc aurum coronarium a Iudeis.* 56.

*Ratio & fundamentum harum sententiarum.* 57.

*Refutatur Marquardus de Susannis.* 58.

*An differant der Juden Krohnens Steuer/ und Dpffer, Pfenninge.* 59.

*An hodie hoc ius Imperatori competit in territorii Principum.* 60.

*Ad hodie Principibus, coronam sibi imponentibus, hoc ius applicari possit?* 61.

*Quatenus in coronatione Regum subditi, ad aurum coronarium teneantur.* 62.

*Exemplum in coronatione Regis Dania.* 63.

*Et expeditione Romana.* 64. *seqq.*

*Quid hodie circa expeditionem Romanam obtineat.* 67.

*Quid sit die Königs Steuer.* 68.

*Exemplum de Potentissimo Rege Borussiae.* 69.

*Sigismundi beneficio Fridericus, Elector Brandenburgicus, omnis auri coronarii compos factus.* 70.

*Quinam ad hanc auri coronarii præstationem teneantur?* 71.

*An hic maiora vota sufficiant.* 72.

*Rationes dubitandi.* 73. *seqq.*

*Rationes decidendi.* 74. *seqq.*

I



ihil facilius est, quam præstationem voluntariam conuerti in necessariam, auiditate hominum etiam manus extendente ad illa, in quibus parum vel nihil iuris competit. Soliti olim apud Romanos erant clientes patronis suis, in remunerationem patrocini, præbere certa dona & munera : Sed continuata illa præstatione necessitas quædam introducebatur, vt etiam lege Cintia hæc necessitas rursus tolli debuerit. vid. Iacob. Brummer. in speciali commentario ad Legem Cintiam.

Cer-

Certe si totam collectandi causam intuemur, infinita ibi occurrunt exempla, vbi collectæ voluntatiæ in necessarias, extraordinariæ in ordinarias mutatae sunt; iure an iniuria, aliis decidendum relinquo.

Extraordinariæ olim flagrante necessitate imponebantur, & pro precario habebantur, ac ita a maioribus *Beeth Anlage/ Beyhülffe*/ appellabantur. Sed mox degenerarunt in ordinarias statas & annales, & ex precario factum præceptum Georg. Mundius *de Muner. & Honor. c. 2. n. 35. seqq.* und *ist aus einer Erbserbung/ eine gebietung/ oder Geborß geworden* Wesemb. *conf. 45. n. 11.* Exemplum est in Orbeda, quæ in modum tributii ordinarii abiit: cum ante extra ordinem & precario modo præstaretur. Per illustr. Dn. de Rhetz *de Orbeda c. 2. n. 61. seqq.* Mundius. *cit. l. n. 44.* Ita Leo III. Imper. ob terræ motu quassata mœnia Constantinopoli reparanda, nouum vectigal indixit, edicens, vt in singula numismata quatuor & viginti obulos ærario Principis inferrent, ad reficiendos muros, quod deinde in multa secula seruatum est, teste Cuspiniano, relato a Klockio de *Contrib. c. 7. n. 120.* Sic & subsidium triennale, quod a Paulo III. pontifice extraordinarium semel imperatum, post ordinarium & perpetuum factum. Id. *cit. l.*

Ita ergo liquidum est, beneuolentiam & oblationem ciuium spontaneam non raro seruitutē posteris imponere, nisi caute prospiciant & vigilent diligenter, ne blanditiis irretiti semel promittant, quod semper doleant, neque iugum fuscipiant, quod posterius excutere nequeant, monente Mundo *de Muner. c. 3. n. 137.* Quem in finē memoratu dignum est solenne Regum Galliæ iuramentum, quo concessis a populo tributis, diserte cauent, se ea remissuros, vt primum necessitas, ob quam imposita sunt, fuerit sublata. Klock. *cit. l. n. 113.*

- 10 Eadem fata videntur habuisse sub Principibus Romanis præstationes auri coronarii, quæ licet in se mere voluntariæ collectæ fuerint, sæpe tamen impositæ fuerunt sub lege necessitatis. Optime hoc depingit Paschalius de coronis *l. 8. c. ii.* inquit: *Verum in Republ. (intellige libera) res honestissima adulterari coepta (respicit ad abusum auri coronarii, de quo c. i. quædam ex Cicerone adducta sunt) sub*
- 11 *principibus fuit furentis avaritiæ continua ministra. Quamvis hoc de omnibus principibus dici non possit: Cap. 2. enim dedimus exempla, vbi aurum coronarium pristinam naturam retinuit, imprimis sub Iuliano & Theodosio.*
- 13 Videamus ergo, quinam Imperatores effecerint, vt quæ res principio tota fuit honoris, processu temporis cesserit in emolumentum. Certe quod ante Iulianum præstatio auri coronarii iam in necessitatem fuerit versa *l. i. C. Theod. de aur. coron.* satis euincit. Quænam enim fuisset ratio prohibendi indictionem huius auri coronarii, nisi antea indictum ab Imperatoribus fuisset. Post Iulianum tempore Valentiniani & Valentis præstatio rursus in maiorem necessitatem versa, quod horum Imperatorum constitutiones diferte indignant. Sic enim in *l. 2. cit. t.* disponunt: *Vniuersi, quos Senatorii nominis dignitas non tuetur, ad auri coronarii præstationem vocentur, exceptis iis, quos lex præterita ab hac conlatione absoluit. Omnes igitur possessores aut inter Decuriones coronarium aurum, aut inter senatores glebalem præstationem, deinceps recognoscant.*
- 14 Clarius idem exprimit *l. 3. eod.* ab iisdem Imperatoribus lata, his verbis: *Nullus, exceptis curialibus, quos pro substantia sui aurum coronarium offerre conuenit, ad oblationem hanc attineatur.*
- 15 Cum itaque hęc legibus diferte Decurionibus præstatio auri coronarii iniuncta fuerit, dici nequit, illis temporibus

bus, auri coronarii præstationem fuisse voluntariam, ut quidem tempore Iuliani, & subsequen-  
torum, ceu *cap. 2.* dictum. Diserte enim excipiuntur qui-  
dam (quales qui fuerint dictu difficile est, quia historiae  
hic silent) a præstationis necessitate quod indicium præ-  
bet, reliquos immunes ab hac præstatione non fuisse. **Vn-17**  
de facere non possum cum summo Icto, Iac. Gothofredo  
leges citatas etiam ad voluntariam oblationem refe-  
rente *in Comment. ad l. 4. C. Th. cit. t.* repugnant enim, ma-  
nifesto ipsa legum verba & Decuriones ad præstationem  
huius auri obligant, quamvis hic ipse Gothofredus itubet,  
cum alibi id non videatur diffiteri.

Neque in hisce finibus auiditas Imperatorum subsiste-  
bat, sed ulterius progressi, quovis modo hoc aurum coro-  
narium postea exegerunt. Imprimis Antoninus, Cara-  
calla hic strenuum exactorem egit, in id studio summo  
incumbens, ut omnes mortales ac præcipue amplissimum  
ordinem nudaret, spoliaret, opprimeret; ceu testatur Dio  
*in Excerpt. Valesian. l. 77. p. 745.* ubi postea addit: *χωρὶς γὰρ  
τῶν σεφάνων τῶν χρυσῶν, ἧς ὡς ἡ πολεμίης τινὰς αἰεὶ νικῶν πόλ-  
λαίς ἤτει (λέγω δὲ, ἐκ αὐτῶ τῆτο τὸ τῶν σεφάνων ποίημα. Πό-  
σον γὰρ τῆτο γέ ἐστιν; ἀλλὰ τὸ τῶν χρημάτων πλῆθος τῶν ἐπὶ  
ὀνόματι αὐτῆ διδομένων, δις σεφάνων αἱ πόλεις τῆς αυτοκρατορίας  
εἰώθασιν) τῶν τε ἐπιτηδείων, ἃ πολλὰ ἡ πανταχόθεν τὰ μὲν προῖ-  
κα, τὰ δὲ ἡ προαναλίσκοντες εἰσέπρασσόμεθα.* h. e. Nam præter  
coronas aureas, quas, tanquam semper aliquibus ab se vicis hostibus,  
exigebat (intelligo autem non ipsas ex auro fabricatas coronas, quantu-  
lum enim id quidem? sed pecunia vim, coronarum titulo ac nomine da-  
tam, qua Imperatores a Civitatibus coronari solent) præter comæatus  
& cibaria, quæ partim sine pretio, partim cum gravissimo etiam sumtu  
nostro a nobis exigebantur &c. Ex quo rursus colligi potest, **19**  
iam eo tempore aureas coronas mutatas fuisse in pecu-  
niæ

G

nix

niæ præstationem, vicemque extraordinarii tributi sustinuisse.

- 20 Simili exemplo vsi sunt & aliæ gentes. Sic memoratu dignum est aurum coronarium Damaretanum, quod Carthaginenses Gelonis coniugi Damaretæ pendere solabant, referente Diodoro Siculo *lib. II.* Cum enim omnem spem salutis abiicissent, præter ingentem pecuniam, quæ Geloni dabatur, adiecerunt auream coronam coniugi eius, quæ corona fuit centum auri talentorum. Paschalius
- 21 *de Coron. lib. 8. c. II.* Huc etiam referri potest, quod Procopius de Theodato, Rege Gothorum, notat, pactum eum cum Petro, Iustiniani Imperatoris Duce, iniisse, vt tota Sicilia secederet, & quotannis ipsi mitteret auream coronam ponderis ingentis *lib. I. de Bello Goth.*
- 22 Huc imprimis quoque referendum censeo illud aurum coronarium, quod Satrapæ olim Imperatoribus solvere tenebantur. De quo Imperatores in *l. ult. C. Theod. de Aur. Coron.* disponunt, secundum consuetudinem moris antiqui omnes Satrapas pro deuotione, quæ Romano debetur Imperiõ, coronam, ex propriis facultatibus, serenitati Imperatoriæ offerre debere. Videlicet nonnullæ Satrapiarum Perficarum eo tempore iuris Romani fuerunt, quamuis satrapis relictæ, sub hac tamen conditione, vt aurum coronarium soluerent, non vero colligendum a Provincialibus sed ex propriis facultatibus in signum recognitionis soluendum. Talis Satrapia erat Sophona, & ad huius Satrapam Gaddanam constitutio hæc Imperatorum est directæ: & quia illicite hoc aurum coronarium a Sophonenis Satrapæ exegerant, voluere Impp. vt ablatum eis redderetur restituereturque.
- 24 Prouocant vero Impp. *in cit. l. ult. ad veterem consuetudinem*, quod & in *L. vn. C. cit. t.* innuisse videntur dum

dum prohibent, neminem *absq. consuetudine* ad collationem huius auri cogendum esse. Inde quæritur: an & quatenus præstationes voluntariæ auri coronarij per consuetudinem necessariæ fieri possint? Valde enim obstat, 25 quod res meri arbitrii nullo tempore præscribi queant, & quod illa, quæ precario concessa, nullam possessionem iuris inducant. Vt enim consuetudo sit valida, requiruntur actus ex opinione quadam necessitatis suscepti, non vero voluntarij sufficiunt. At vero, ceu hæctenus declaratum, præstationes auri coronarij quoad suam originem sunt actus voluntarij nulla necessitate suscepti, mere precatiui & meri arbitrii. Accedit quod hic deficiat fundamentum collectarum scilicet necessitas & utilitas Reipubl. 26 quò casu collectæ exigi nequeunt. Et denique hic deficiere videntur actus quieti, cum secundum Fulv. Pacian. *lib. 1. de probat. c. 29. n. 80.* vel tacitæ murmurationes imbecilliorum seu subditorum omnem præscriptionem impediant. Timens enim vel murmurans non affirmat, quando sine periculo reclamare nequit, vnde potius iniusta vel violenta videtur possessio superioris, quam in collectando allegat Klock. *de Contribut. c. 7. n. 42.*

Certe hæ rationes dūbitandi faciunt, vt magna cautio 28 in asserenda tali consuetudine adhiberi debeat. Non enim negari potest, sæpius de facto procedi a Principibus, & extraordinaria onera olim offerri solita, postea in ordinariam quandam mutari præstationem, per nimiam collectandi continuationem. Vt itaque per consuetudinem præstatio auri coronarij necessaria fieri possit, requiritur præstatio sæpe continuata, per tempus immemorabile, Perez *ad l. vn. C. de aur. Cor.* ita quidem vt subditi opinione cuiusdam necessitatis ducti ad hanc fuerint, & ita etiam hæctenus hoc aurum obtulerint. Deinde supponi saltim debet aliqua 30

- causa vtilitatis publicæ , quæ ex hoc auro coronario redundare potest in Rempubl. qualis in præstatione satraparum erat, quia eo ipso recognoscebant Imperii Romani Maiestatem: Quibus suppositis hactenus consuetudo tolerari & necessitatem præstandi operari potest, præsertim si hoc ipso liberentur ab aliis oneribus & collectis. Et ita facilius iam admitti possunt, quæ B. Dn. Brunnem. ad l. *vn. C. de Aur. Coron. n. 6.* tradit. Videmus, inquit, *præstationes annuas, quæ benevolentia causa a subditis præstantur, longa consuetudine & præscriptione firmari, & titulum iustum inducere, vt in futurum præstari debeant, modo domini probare possint, subditos non per vim compulsos ea præstitisse, & fuerit præscriptio immemorialis probata.*
- 31 Operatur enim ita consuetudo etiam contra regulas iuris communis in imponendis oneribus, vti per *l. vnic. cit.* probare solent Dd. quos cateruatim adducit Klock. *de contrib. c. 2. n. 96.* conf. Gail. *2. Obs. 52. n. 18.* Georg. Mundius *de Honor. c. 7. n. 7. seqq.* Et sic semper in exigendis collectis respici solet ad veterem obseruantiam, quod & constitutiones Imperii de Anno 1544. vsque ad annum 76. obseruant, disponentes, collectas Imperii imponi posse subditis, prout legitime obseruatum & iuris est, *wie recht mäsig herkommen und recht ist / Gail. 2. Obs. 53. n. 8.* Ziegl.
- 32 de *Iur. Maieft. lib. 2. c. 1. §. 15.* Sicuti enim attendenda est consuetudo libertatis & exemptionis; ita e contrario & ea seruanda est, quæ versatur circa solutionem & præstationem onerum Klock. *cit. l.*
- 33 Neque etiam infrequens est, vt actus meri arbitrii per prescriptionem necessitatem induant, ab eo tempore, quo quis per patientiam acquieuit, nec prætenso iuri alterius contradixit. Imo si actus mere voluntarii aliquando imperari possunt expresse, certe & tacite per consuetudinem

nem

nem præstatio voluntaria in necessariam verti potest. Nul-<sup>36</sup>  
 libi fere maior voluntatis & arbitrii libertas, quam in dan-  
 dis Eleemosynis, cum ex charitate debeantur, & cuiusque  
 conscientia relinquantur. Inde ut fiant & erogentur ele-  
 mosynæ regulariter Princeps imperare nequit, nec enim  
 istæ qualitates recipiunt & admittunt Imperium civile, sed  
 ex directorio conscientia dependent. Sed quid si ditio-<sup>37</sup>  
 res officio suo non satisfaciunt? Si auaritia nimis dediti,  
 pauperes plane negligent, non dubito, quin magistratus di-  
 tiores ad subleuandam indigentiam pauperum iam com-  
 pellere possit, & illa imperare, quæ imperari non posse vi-  
 debantur Frantz. *l. 2. resolut. 7. Franc. de Amaya ad. l. vn. C.*  
*ut rem. lic. in emt. n. 17.* Vnde omnino præstationes mere  
 arbitraria fieri possunt necessaria. Ut adeo non dubitem,  
 subditos. ad aurum coronarium quoque compelli posse.

Imprimis vero Iudæi ad solutionem auri coronarii ne-<sup>38</sup>  
 cessitate adstringuntur, an consuetudine, ut Glossatores  
 plerumque ad *l. vn. C. de aur. coron.* annotare solent, an vero a-  
 lio iure singulari, non aliter diiudicari potest, quam si totam  
 rem ab initio & origine reuoluamus. Quod itaque ad ipsam  
 necessitatem præstandi hoc aurum coronarium attinet,<sup>39</sup>  
 occurrit hæc dispositio Theodosii & Valentiniani in *l. 17. C.*  
*de Iudæis (quæ est l. ult. C. Theod. de Iud.) Iudæorum primates qui*  
*in utriusque Palestine Synedriis dominantur (alii ut Iac. Go-*  
*thofr. in C. Theod. legunt nominantur) vel in aliis prouinciis de-*  
*gunt (Tribonianus hic ex ipsa constitutione quædam omi-*  
*sit verba, quæ ex Codice Theodosiano supplenda, scilicet hæc:*  
*quæcunque post excessum Patriarcharum pensionis nomine susce-*  
*pere, cogantur exsoluere. In futurum vero) periculo suo anniuers-*  
*sarium canonem de Synagogis omnibus, palatinis compellentibus e-*  
*xigant ad eam formam, quam Patriarcha quondam CORONARII*  
*AVRI nomine postulabant (omisit rursus Tribonianus hæc:*



qua tamen *quanta sit, solerti inquisitione discutias*; ) & hoc quod ab occidentalibus ( rursus omittit hic Tribonianus vocem *partibus*, & sic mirifice sensum huius legis corrumpit, Patriarchæ enim occidentales non fuerunt ) *patriarchis conferri consueverat, nostris largitionibus inferatur*. Hoc ipsum Iosephi testimonio *l. 7. belli Iudaic. C. 26. in f.* quoque constat. *Tributum, ait, ubicunque degerent, Iudæis indixit, ( Vespasianus scilicet ) binasque drachmas singulis annis deferre in Capitolium iussit, ita ut ante hac Hierosolymam templo pendebant.*

40 Neque vero Theodosius & Valentinianus hoc aurum coronarium Iudæis primitus imposuisse videntur, cum ex historia Maccabæorum constet, iam eo tempore aurum coronarium fuisse præstitum a Iudæis Regibus exteris. Cum enim Alexander cum Demetrio de solio certaret, & quilibet Iudæorum benevolentiam omni conatu captaret, Demetrius inter alia benevolentiam argumenta remittere eis aurum coronarium promittebat; Ita enim rescribat ad Iudæos *1. Mac. X, 29. Und erlass' ist allen den Schoß/ den Zins von Salz/ die Krohn=Stener* &c. quod Grotius ad *cit. l.* recte interpretatur per aurum coronarium, adiicitq; Iudæos aureas coronas Regibus solitos fuisse offerre quotannis.

41 Ipsa lex vero nos deducit ad præstationis huius auri coronarii necessariæ originem. Postulasse Patriarchas quondam aurum coronarium consententur Imperatores. In qua forma vero? Erant videlicet binædrachmæ, *διδραχμος*, quas Iudæi ex omnibus prouinciis, per quas erant sparsi, templo Hierosolymitano inferre solebant Guid. Pance-  
röll. *Thef. var. Lect. l. 2. C. 170. ab init.* Barbof. *ad l. 17. C. de Iu-*

42 *deis.* Cum vero magno numero ex remotioribus locis hoc tributum mitteretur, oneris leuandij causa in aureis nummis transmissum. Vid. Iacob. Gothofr. *ad l. 14. C. Theod. de Iud.*

*Iud.* Hinc aurum Iudaicum inde dictum. Cic. *in orat.* 24. *pro L. Flaccop. m. 511.*

Verum vbi Iudæi Romanis tributarii facti, hi quouis modo tentarunt, huius auri deportationem ex prouinciis inhibere. Flaccus inter alios edicto sanxit, cum aurum Iudæorum nomine quotannis ex Italia & omnibus prouinciis exportaretur, ne ex Asia exportare liceret. Et cum inter alia accusationis capita, quibus D. Lælius L. Flaccum criminis reperundarum reum postulabat, hoc quoque Flacco obiiceretur, pro eius defensione Cicero *in orat. cit. p. m. 512.* testatur, iam sæpe antea Senatam ita iudicasse. Vocat porro hanc exportationem, barbaram superstitionem. Græci imprimis hoc aurum Iudaicum prohibebant, adeo vt huius rei nomine apud Augustum, per Legatos Iudæi conquererentur. Hinc rursus, teste Iosepho *antiquit. Iudæic. l. 16. c. 10.* immunitatem plenam acceperunt ab Augusto, decreto de super solenni missio, vbi inter alia priuilegia ipsis conceditur, *votiuiam pecuniam per certos homines mittere Hierosolymam*, constituta pœna sacrilegii, si quis sacram pecuniam hanc auferre ausus fuerit. Sic & adducit Iosephus *cit. l. Cæsaris ad Norbanum Flaccum litteras*, vbi hæc habentur: *Iudæis, vbi cunq; Gentium degentibus, sacram pecuniam ex veteri instituto Hierosolyma mittere nemine prohibente liceat.* Vt & Agrippæ, hunc in modum rescribentis: *pecunia sacra, quæ Hierosolyma mitti solet more patrio, procuratorum & tutelam penes Iudæos esse volo.* Nec segniter hic C. Norbanus Flaccus Proconsul suo officio vsus, sed quemadmodum ipsi a Cæsare demandatum, ita Sardoniorum Magistratibus rescripsit, *iubere se neminem Iudæorum prohiberi, secundum patrium morem collectas pecunias Hierosolymam mittere.* Eadem erat sententia Iulii Antonii proconsulis, ex iussu Cæsaris decernentis, concedi Iudæis, *primitias pietatis*

*ergo conferre deportandas absque impedimento ad templum DEI maximi.*

- 46 Quod iam stante Hierosolymitano templo persoluebatur, id post excidium eius Patriarcha Iudæorum vniuersalis sibi vindicauit, & anniuersarium quendam canonem coronarii auri nomine a singulis Synagogis accepit, & exegit. Cur vero auri coronarii nomine? Quia, inquit Guido Panciroll. *Thef. var. Lect. l. 2. C. 80.* summo sacerdoti pro eius corona pendendi consueuit, similitudine scilicet alterius, quod Imperatori offerebatur, sic tamen, vt hoc anniuersarium esset, & necessitate tribueretur. Iac. Gothofr. *ad L. ult. C. Theod. de Iud.* Exigebant hanc pensionem Archisynagogi, seu presbyteri Iudæorum, quos ipsi Apostolos vocabant, & qui singulis Synagogis Iudæorum præerant. *L. 14. C. Theod. de Iudæis* Vnde & tributum hoc Apostolatus nomine tunc temporis veniebat.
- 49 De Iuda Patriarcha, refert Epiphanius, *de Heresi Ebionit. 30.* quod Iosepho dederit τῆς ἀποστολῆς ἐπιμερίαν, Apostolatus exigendi curam seu functionem, eumque miserit, cum literis in Ciliciam. Quo cum accessisset, ab vnoquoque ex oppido decumas ac primitias a Prouincialibus Iudæis exegit, & hoc respectu, quia a prouinciis deportari solebat ad Patriarcham, *in l. cit. 14. Deportationis functione* appellatur.
- 50 Quamuis vero, vt supra dixi, sæpius hæc auri deportatio ab Imperatoribus prohibita fuerit, non tamen eo habitus ventum erat, vt hic anniuersarius canon ærario publico Principum applicaretur, donec tandem Honorius Imperator in *l. 14. C. Theod. de Iud.* constitueret, hunc ipsum ad Imperatoris ærarium esse dirigendum, Patriarchæ autem nihil amplius mittendum. Cum enim occidentale Imperium ab orientali non dependeret, indignum visum fuit

u i. Honorio permittere Patriarchæ orienti, in occidentali parte aurum quoddam coronarium exigere.

Non diu vero hæc prohibitio subfitit, siquidem post quinquennium Imperator, noua lege lata, priorem sustulit, hunc in modum: *Dudum iusseramus, vt ea, quæ Patriarchis a Iudæis istarum partium ex consuetudine præbebantur minime præberentur. Verum nunc amota prima iussione, secundum veterum Principū priuilegia, cunctos scire volumus, iudæjs mittendi copiam a nostra clementia esse concessam.* Adscribit hanc mutationem Iacobus Gothofredus *ad cit. l. reconciliationi fraternæ, Arcadii & Honorii, cum lege priorilata discordiæ quædam inter ipsos fuerint.*

Expirauit vero tandem Patriarchatus Iudæorum, & quidem ex *l. 17. C. de Iudæis iunct. l. vlt. C. Theod. eod.* apparet, tempore Theod. & Valentin. iam Patriarchas defuisse, electosque tunc Primates in ipsis Synedriis, & plures per provincias constitutos fuisse. Diserte porro additur, eos successisse in iura Patriarchæ, & sic hunc anniuersarium canonem exegisse. Verum præuenit mature huic Primatum libertati Theodosius iunior, atq; aurum coronarium suo vindicauit, hac quidem forma, vt primates quidem adhuc exigent, sed periculo suo, & ita compellentibus Palatinis, seu officialibus comitum sacrarum largitionum, sacris largitionibus id inferrent.

Quæ cum ita sint, certum inde & liquidum redditur, hanc præstationem quidem auri coronarii speciem fuisse, sed multis modis diuersam ab illa, de qua supra *c. 2.* pluribus dictum. Nam 1) erat species tributi ordinarii, hinc anniuersarius canon dicebatur: at aurum coronarium Imperatoribus præstari solitum, etraordinarium erat. 2.) Illud statotempore exsoluebatur; hoc vero emergente occasione publicæ lætitiæ. 3.) Illud ex pensione Patri-

H ar-

archis prætari solita originem trahit: hoc vero ex triumphis Romanorum &c.

- 56 Sed hæc quidem olim obtinuisse constat. Quid vero hodie dicendum de Imperatoribus nostris, an adhuc idem ius exercere possint? Siquidem Dd. hic consulamus, id fere omnes vno ore fatentur. Refert, ex quodam Cameralium Spirensium scripto, Limneus *tom. 5. Iur. publ. in addit. ad lib. 3. c. 2. n. 48.* daß die Judenschafft schuldig und verpflichtet einem jeden angehenden Römischen Kayser/als ihrem einigen Ober- und Schutz-Herrn/ zu Ihrer Kayserl. und Königl. Krönung/auch folgendes Jährlich und ein jedes Jahr besonders / zu dem Heil. Weynachten/ von jeden Haupt der Juden/ Judinnen/ Jung und alt/ niemand davon ausgenommen/ einen Gold-Gülden Kröhn-Steuer und respective Dpffer-Pfennig zu geben. Conf. Id. *ad c. 9. §. 2. A.B. obs. 4. Dn. Multz de repræs. Maiest. Imper. P. 2. c. 15. §. 2. n. 8. Dn. Strauß. Disp. de Capitatione c. 5. §. 4.* Fundamentum huius sententiæ facile deduci potest ex summo iure, quod Imperatori in Iudæos asseritur. Sic enim in confirmatione Priuilegiorum Iudaicorum a Maximiliano II. ao 1566. facta, Imp. dicitur, der Juden rechter einiger Herr/ und Beschirmer auff Erden/ ic. Obrister Herr und Richter / dem die Gemeine Jüdischheit ohne Mittel zugehörig. ic. Gemeiner Jüdischheit im Reich oberste Obrigkeit Limn. *ad A.B. cit. l.* Additur ibidem, Sigismund undum Imperatorem in commissis dedisse Seinshemio, alle und iegliche Jüdischheit in dem Reich/in Teutschen und Welschen Landen wohnhaft/ zu besenden/ und mit Dero/ von Kayserl. Maj. wegen und an ihre statt umb ein Jährlich oder Monathl. Wochlich und täglich Geld zuüberkommen für das deme dieselbige Jüdischheit Ihrer Maj. und dem Reich in Dero Königl. Cammer Jährlich pflichtig und schuldig zugeben ist ic. es sey von des Dritten Pfennigs des Zehenden/ der halben Juden Steur/ und des Güldnen Dpffer-Pfenniges wegen ic.

Equi-

Equidem Marquardus de Susannis *tr. de Iudæis c. 6. part. 2. 58* valde Iudæis fauet, & fere eos a solutione tributorum absoluit, ex eo fundamento, quod Pontifex *in c. scut 9. X. de Iudæis* prohibeat, a Iudæis seruitia exigi coacta, addens quasdam limitationes, quæ tamen re ipsa fallunt. Sed vero male concludit a prohibitione seruitiorum, coactorum, ad prohibitionem tributi: id enim solummodo Pontifex intendit, ne onerentur iniustis seruitiis, non quod se subducere possint præstationibus ordinariis, vel extraordinariis; Vnde dicitur in *R. I. de do. 1542. §. item die Juden. Daß eine Juden Person/ sie sey jung oder Alt zu Anfang der Türcken-Hülff einen Gulden legen/ und die Reichen in solchen Anschlag denen Armen zu Hülff se kommen sollen.*

Cæterum in allegatis locis separatim facta est mentio, 59  
 der Krohnen-Steuer und des Guldnen Dyffer-Pfenniges/  
 ubi dubitari potest, an hoc ipso vnum idemque tributi genus indigitetur, an vero sint separatæ præstationes? Posterius asserere conatur, Dn. Straufs *d. disp. cit. l. & Dn. Multz. cit. l.* Prius vero Wesembec. Confiliar. quondam Brand. intimus, in *Cynofura Liturg. de Subsid. necess. publ. ferend. concl. 7. p. iii.* & quidem huius sententia magis ad mores pristinos accedit. Nam ceu ex supra dictis apparet, aurum Iudaicum, anniuersarius canon, & aurum coronarium erant Synonyma & binæ illæ Drachmæ, templo Hierosolymitano olim præstari solitæ, erant die Guldene Dyffer-Pfennige/ ab hoc vero sine dubio talis consuetudo postea deduci cæpit.

Illud vero hic non immerito quæritur: vtrum Imperatori adhuc hodie hocius competat collectas has a Iudæis, in territoriis Principum imperii degentibus, exigendi? Limneus *ad A. B. cit. l.* hoc indubitanter affirmat, inquiring: *Statuum consensus ad contributionem Iudæis imponendam non diffiteor: sed factum id fuisse in contributionibus Imperii per-*

*pendendum est; Inde vero inferri non potest, Imperatorē in aliis negotiis citra consensum statuum Iudæos collectare hodie, aut consuetum aurum coronarium die Krohn-Steuer und das Opffer-Geld/ ab illis exigere, haud posse. Ipse tamen Dn. Multzig strenuus alias Iurium Imperatori competentium assertor cit. l. ingenue fatetur, vulgo ita persuasum esse, inter Iudæos tamen Oetingenses & alios; nisi quod Francofurtenses nouiter coronato Imperatori præstant, de eo nihil constare, sed solere ab ipsis Dominis suis collectari; & tandem concludit: hæc tamen omnia iuxta mores hodiernos esse æstimanda, vt adeo non improbabiler concludi possit, hodie idem ius competere statibus Imperii in Iudæos in territoriis eorum degentes, quod Imperator sibi vindicat.*

61 Sicuti vero facilis hæc coronarii a Iudæis conferendi auri præstatio Imperatori in terris suis conceditur, ita forsitan non incommode, imo etiam ex rei veritate dici posset, si casus contingere, vt quidam ex Statibus Imperii ad regale Diadema eueheretur, Iudæos imprimis ad hanc collationem obligari: Cum iura Imperatori in imperio competentia, Principes in suo territorio recte exerceant, & insuper Iudæi commodis Reip. & tutela Principis gaudent, vt adeo iniquissimum fuerit huic oneri se subtrahere, quod potius sponte in grati animi signum subire deberent. Quantitatis vero determinatio in arbitrio noui Regis erit. De consuetudine Hamburgensi constat, quod quoties consul nouus eligitur, vniuersa Iudæorum turba huic offerre teneatur mille thaleros in specie vt vocant. Quid ni ergo & Principi imperii ad regale solium euecto.

62 Eo ipso vero non excluduntur reliqui subditi ab hac collatione, si inauguratio noui Regis immineat. Nam cum utilitas publica hanc coronationem desideret, & vero subditi publicis utilitatibus & necessitatibus subuenire teneantur

tur

tur concurrat hic utique fundamentum collectarum extraordinariorum, maxime cum istiusmodi casus plane sit insolitus & ad splendorem totius Principatus omniumque territoriorum nouo Regi subiectorum vergat, cuius eminentiæ augendæ gratia merito deuotionis suæ tessera conferunt probi; subditi, adeo ut non mere voluntaria talis præstatio haberi possit, sed simul ut necessaria considerari debeat.

Conspirant varii variarum gentium mores. De Regno 63  
Daniæ constat, quod subditi ad coronationem noui Regis soluere, & contribuere teneantur die *Krohn-Steuer*; quod idem de regno Sueciæ nobis relatum est, ut aliorum regnorum constitutiones hic non tangam. Propius huc 64  
spectare videtur *extraordinaria collatio ad felicissimam regalis Numinis (Imperatoris Romani) expeditionem*, ut dicitur 2. F. 56. vulgo *der Römer Zug*/ vbi Imperatores olim, ad consequendam consecrationem Pontificis Romani, magno comitatu Statuum Imperii Romam proficiscebantur. Quæ solennitas inaugurationis repetenda a Carolo M. qui, etsi non animo coronam imperialem suscipiendi, cum iusto tamen exercitu expeditionem versus Romam susceperat, & coronam a Pontifice S. P. Q. R. acceptauerat. Et sic a posteris hæc expeditio Romana continuata est. Dn. Schilter *ad ius Feud. All. C. 8. §. 1.* Erant vero Status Imperii obstri- 65  
cti, certo comitatu ipsis imposito Imperatorem comitari, quod Reinhard. *p. 3. differ. Iur. Ciu. & Saxon. c. 24. 8.* his delineat verbis: nach dem Gebrauch des Heil. Römischen Reichs muß der Römische Zug auff 20000. zu Fuß und 4000 zu Ross sechs Monath angeschlagen/ und einen jeden Stande des Reichs nach Gelegenheit seiner Güter eine Anzahl wie viel er zu Ross und Fuß daran schicken/ oder für jeden zu Ross zwölff und zu Fuß vier Floren an Gelde erlegen und bezahlen müssen/ aufferleget. In veteri iure Allemannico feudali plenior dispositio de hac



expeditione occurrit C, 7. & 8. vbi inter alia necessitas comitandi regem electum ita describitur: Wenn aber die Tüttschen ein König erwehlend / und der zu Rom nach der Wiehe fehrts / die Fürsten / die ihn zu König erkohren hant / sind alle schuldig mit ihm zu fahrende 2e. Und wellend Sie blieben (h.e. si domi manere maluerint) so lösend die Herfahrt mit dem zehenden Pfund / was es ein Jahr giltet / und weders der Man will das mag er thun. Die Herfahrt gen Rom soll der König gebieten über ein Tor sechs Wochen und drige Tage. Und die Herfahrt hat dem Tüttschen Ende / so der König gewiehet wurd / und

66 für besser mag er sie mit Rechte nicht gezwingen. Reuera ergo hæc præstatio necessaria fuit, & non impedit, quo minus die Reichs-Kronen-Steuer dici possit, cum ad coronationis actum directa esset. Hinc etiam Merckelbach. *consl. 1. relato in fasciculo Consult. ad mater. contrib.* De Ottone IV hæc refert. Solcher gestalt ist bey zeiten Ottonis des Bierdten umb das Jahr / 1208 / wie Ihre Majest. coronationis causa nach Rom ziehen wollen / auff dem zu Augspurg gehaltenen Reichs-Tag beschlossen worden / welche Fürsten und Stände persönlich cum suo comitatu seu ministerio ziehen / und daß die übrigen Fürsten und Prälaten so im Lande bleiben 22000 Gulden an Gelde erlegen sollen.

- 67 Verum postea hæ expeditiones Romanæ ex rationibus prægnantibus intermissæ sunt & vltimus hactenus, qui expeditionem hanc suscepit, fuit Carolus V. & quamvis successores spem quidem fecerint in capitulationibus, coronam Romæ se suscepturos, res tamen eo vsque dilata fuit, vt etiam in Leopoldina Capitulatione ista clausula penitus omitti cœpta. Remansit tamen modus contribuendi nach dem Anschlag der Römer Monath quoties necessitas extraordinariam collectam Imperii desiderat. vid. Dn. Stryk. *Ex. I. Fend. c. 9. qu. 20.* vel militem Imperii aduersus hostem mittendum, vbi dicere solent Welcher Stand sein Reichs

Reichs contingent an Volsch nicht schicket / der ist schuldig 12  
 mer Monath zugeben. Solet hoc etiam vocari die König- 68  
 fteur ideo quia intuitu feudi regalis exsoluitur Andr. Kni-  
 chen. *de sublimi & regio territor. iure C. 3. n. 37<sup>a</sup>*. quod ideo no-  
 tandum, ne temere confundatur mit der Kröhn-Steuer!  
 Dicit etiam solet Hostenditiæ vulgo *Osten-Dienst* h. e. sol-  
 vendo contributiones Imperii Myl. ab Ehrenb. *de princ. &*  
*Stat. Imp. C. 98. §. 6.* vox *osten* enim hostem denotat. E. qui  
 actum non præstabant die *Osten-Dienst* seu seruitia milita-  
 ria, eius nomine præstabant certam collectam Klock. *de*  
*contrib. C. 1. n. 269.* Ipsa vero citatio ad militiam vocatur,  
 Heeribannum der *Heers-Bann* Myl. *cit. l. §. 2. & 3.*

Præfens autem huius rei exemplum præbet solennis 69  
 illa Inauguratio & coronatio serenissimi ac potentissimi  
 Principis ac Domini Dni FRIDERICI, Regis Boruf-  
 forum, Domini nostri longe clementissimi, qui quidem an-  
 tea Borussia independentem seu pleno souuarenitatis iure  
 sub titulo Ducis tenuit, iam vero d. XIX. Ian. anni curren-  
 tis Ducatum hunc in regnum commutauit, sibi que felicif-  
 simis auspiciis regale Diadema imposuit. Quo illustrior ve-  
 ro inauguratio hæc existit, dum sic Regia Maiestas poten-  
 tissimæ domui Brandenburgicæ per Augustissimum  
 hunc Regem primitus acquisita: eo magis imago anti-  
 quorum temporum nos in admirationem rapit.

Nam constat ex Historiis primum illum ex gente Zol- 70  
 lerana Electoratus Brandenburgici scepra capeffentem  
 FRIDERICVM sub ipso Electoratus auspicio liberali-  
 tate SIGISMVNDI Imperatoris, tanquam omen  
 quoddam futuræ dignitatis Regiæ in hanc stirpem aliquan-  
 do deriuandæ, omnis auri coronarii per totum Imperium,  
 Romano-Germanicum, quod tunc temporis pendit solebat  
 Impe-

Imperatoribus, compotem factum fuisse, vt gratum Imperator ipsi testaretur animum, quod singulari prudentia Friderici ad Imperiale folium promotus fuerit. Referam hoc verbis Ioannis Wolfgangii Rentzii *in descriptione domus Brandenburgica pag. m. 354.* Welche glückliche Verrichtung der neue Kayser Sigmund mit einer sonderbahren Gnade belohnet/ indem Er den Burg-Graffen Anno 1411. Einen Gebots-Brieff an alle und jede des Reichs-Städte in Schwaben Francken/ Baiern/ Elßaß/ an Rhein und in Wetterau/ oder wo die in Heil. Reich gelegen/ dahin ertheilet/ daß sie die gewöhnliche Stadt- und Juden-Steuer Güldne Opffer- Pfennig und dazu alle Gefälle Renten und Nutzen/ wie die genandt seynd/ an Burggraffen Friederichen zahlen sollen. Res sane non sine omine fuit, sed præfagii instar, cum hic FRIDERICVS I. auri coronarii exactionem meruerit, alium FRIDERICVM, Tertium scilicet, qui perfectus est numerus, huius nominis Electorem, non aurum tantum, sed & ipsam coronam Regiam, ipsius Imperatoris & tot aliorum Regum potentissimorum applausu, meritum esse.

- 71 Sicuti autem boni & prudentis Principis est, non imperare huius generis oblationes, quamuis vt mox dicam eas summo iure imperare possit Ziegl. *de Iur. Maiest. lib. 2. c. 3. §. 2.* ita bonorum ciuium est, gaudium ex Principis sui coronatione conceptum sua sponte testari, & obsequii symbolum coronato Principi offerre. Exemplum eius rei benignissima Augustissimi Regis nostri FRIDERICI in subditos propensio, & subditorum deuotissimus ille cultus, quo purpuram tanti Principis submissa munerum oblatione adorant, nobis exhibet, vbi Clementissimo nutu provocata ciuium pietas, prona mox fuit, ad offerendum insignie munus coronato Regi, quod auri coronarii nomine non immerito insigniri potest, licet hoc nomen nondum receperit. Referam verba rescripti ad Regimen Ducatus

tus

catus Magdeburgici missi : Wir geben euch hiermit in Gnaden zuvernehmen/ was gestalt wir entschlossen seyn/ noch diese Woche / so Gott will/ von hier auffzubrechen/ nach unsern Souverainen Herzogthum Uns zu erheben / und Uns alsda zum Könige proclamiren und kröhnen zulassen. Ihr habet unsern dortigen Landt. Ständen davon Nachricht zugeben/ und zweiffeln wir nicht/ daß dieselbe unsere exaltation gerne und mit Freuden annehmen werden / Gleichwie aber dieser actus, wie leichte zuerachten/ große Kosten erfordert/ so haben wir auch zuermeldten Unsern Ständen/ das gnädigste Vertrauen/Sie werden bey so einer illustren Occasion, und da eine solche Würde mit Vollkommener Appobation und Zustimmung Ihr Kayserl. Majest. und Verschiedener anderer Königen und Puißancen in Europa, in Unser Hauß gebracht wird/ zu übertragung der dabey anzunehmenden spesen, mit einem freywilligen und erflechtlichen adiuto gerne an die Hand gehen/ allermaßen ihr Sie den auch dazu bestens zu disponiren/ und wie Sie sich des halb/ erklären werden/ unterthänigst zu berichten/

Cæterum si abstrahamus ab eiusmodi spontanea oblatione, non dubito, quin etiam recte talis auri coronarii præstatio subditis injungi possit, ceu supra n. 62. iam ostensum, si scilicet subditi sponte hanc ipsam offerre recusent. Equidem *cap. 1.* auditimus, oblatum hoc aurum coronarium antiquitus etiam fuisse spontaneo motu a Decurionibus, ob primitias regni : Sed aliud est gratulationis ergo offerre coronarium aurum Regi vel Imperatori ob regni & Imperii primitias : & aurum hoc coronarium præstare intuitu coronationis Regiæ, quæ cum ingentes impensas requirat, & simul propter ipsos subditos fiat, merito intuitu huius præstatio auri coronarii necessitatem aliquam habet.

Sicuti vero *cap. 2.* euicimus, ad collationem auri coronarii voluntarium omnium consensum requiri, nec maiora vota dissentientibus præiudicare, ita vltimo hic quæritur

- an in hoc casu, si Rex per modum subsidii alicuius charitati-  
 vi einer freywilligen Krohn-Steuer hoc aurum coronariū  
 intimauerit, maiora Statuum prouincialium vota sufficiant,  
 an vero eodem modo, quo in voluntaria, omnes vnanimi-  
 73 ter consentire debeant? Primo enim illud obstare videtur,  
 quod vocari & esse non possit, eine freywillige Krohn-  
 Steuer / si non omnes consentiant, præprimis in hoc casu  
 vbi omnes, vt singuli, interesse prætendunt, & sic quod om-  
 nes tangit, ab omnib9 approbari debere videatur, Ant. Pe-  
 regrin. vol. 2. Consil. 57. n. 15. Hartmann. Pistor. quest. Iurid.
- 74 37. lib. 1. n. 11. Quo iure vero consentientes prætendere po-  
 terunt, vt dissentientes se conforment ad plurimorum pla-  
 cita, cum sint illi inter se pares, par in parem autem non ha-  
 75 beat imperium? Verum hæ rationes tanti roboris non sunt,  
 vt in sententiam illam animum trahere possint. Imponi-  
 tur enim hoc aurum coronarium propter bonum publi-  
 cum, at in deliberationibus commune bonum respicien-  
 76 tibus minor pars se conformare debet votis maioris partis.  
 Hæc enim semper est conditio in vniuersalibus, vt maioris  
 partis valeant sententiæ, & reliqui illis accedant Ziegl. de Iur.
- 77 Maies. l. 2. C. 3. §. 14. Quod si enim in publicis eiusmodi nego-  
 tiis maiora vota non valere dixeris, non erit ratio expedi-  
 endorum negotiorum, quod tamen publica vtilitas vbique  
 efflagitat, cum a fine Reip. media sint determinanda, ad dis-  
 sentiendum enim proni sunt animi hominum, vt igitur e-  
 xitus in negotiis reperiatur, ad hoc medium necessario est  
 78 deueniendum Grot. de I. B. & P. lib. 2. c. 5. n. 17. Cum vero  
 ex fine porro diiudicentur actiones morales, & vero au-  
 rum coronarium præstetur ob vtilitatem publicā, hæc au-  
 tem non sit singulorum, sed respiciat omnes vt vniuersos,  
 licet secundario & per consequentiam singulos ipsa contri-  
 bu-

butio tangat; hinc min9 recte applicatur hic regula vulgata, quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari Klock. *de contribut. Cap. 6. n. 114.* Ziegl. *de Iur. Mai. lib. 2. C. 3. §. 18.* Re-  
 gulæ ergo iustitiæ non prohibent, quo minus dissentientes  
 secundum vota maiora possint ad præstandum aurum co-  
 ronarium adigi, iustum enim æquumque est, vt, qui ex ci-  
 uium numero in obsequio gloriam non quærunt, aliorum,  
 maiori, veneratione Regis sui scepra adorantium, exem-  
 plo, ad eundem cultum adducantur.

Et hæc sunt, quæ de illustri hac materia, data nobis tam e-  
 gregia occasione, spatio licet exiguo nobis relicto, in char-  
 tam conicere libuit. Quod superest, rogo Lectorem be-  
 neuolum, vt si non omnia sat accurate delineata, vel in qui-  
 busdam erratum esse, animaduertat, illa, quæ deesse vide-  
 bantur, suppleat, ac omnia in meliorem partem interprete-  
 tur. Deus vero nouam hanc coronam Borussicam per-  
 petua salute beet, & in augmentum gloriæ diuinæ, Ec-  
 clesiæ, ac Reip. vergere sinat

FELICITER.



## Mantissa.

### I.

**C**oronæ Regiæ impositionem Prophetici aut Sacri ordinis munus esse, ex Scriptura S. non probabitur, multo minus eandem aut Sauli aut Dauidi a Samuele impositam esse, vlllo indicio doceri potest, sola enim vnctio ab hoc expedita.

### II.

Actum coronationis e contrario a Proceribus populi expeditum fuisse, aliquot exemplis comprobatur sacra pagina.

I 2

III Prin-

III. Principem illum , qui neminem in his terris agnoscit superiorem, sibi ipsi coronam imponere posse, certi sumus; imo & hoc prioris Gentium fuisse, aliquot Scripturæ loca ostendunt.

IV. A Rege Reginam coronari posse, nulla iuris ratio vetat: imo hoc ius exercuisse quondam Reges, iterum ex Sacris literis edocemur.

V. Regium Diadema Electori collatum , etiam in collegio electoralali præcedentiam tribuere, ex Legibus Imperii fundamentalibus constat.

VI. Ius creandi Episcopos Imperatori in Germania quondam sine controversia competiit, in quo iure a Pontifice iniq; turbatus, imo bellis intestinis, contra ipsum excitatis, fere deiectus, donec tandem Germaniæ concordatis remedium aliquod inuentum, quo Imperatori & Pontifici consuleretur, quibus tamen concordatis cum ipse Pontifex non steterit, nec Imperatorem amplius obligari, existimo.

VII. Maiori ergo iure Principes Euangelici, quos concordata hæc non fringunt, potestatem pro lubitu constituendi Episcopo sibi vindicant, & omnia iura episcopalia his conferunt.

VIII. In causis Ecclesiasticis a Principibus Imperii, siue in tribunalibus siue consistoriis decisis, nulla admittenda est appellatio ad Cæsarem, & hoc ne quidem in matrimonialibus, quamuis matrimonium pro Sacramento nos non habeamus.

IX. Principum Euangelicorum connubia in gradu alioqui prohibito contrahenda, dispensationi non subsunt, cum nemo sit qui hic dispensare valeat: & Principes ipsos hic dispensare circa sua connubia, minus caute asseratur. Declarationem vero exigunt merito a diuinarum humanarumque Legum peritis, an iuri diuino morali hoc, quod intendunt, matrimonium refragetur.

X. Præscriptionem bonorum domanialium a subditis Principi suo opponi posse, non censeo.

